BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
23 B
28 H
14 . 13 . a . 15 -

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

CVRSVS PHILOSOPHICVS

Ex doctrina ſapientiſſimi Mag.

FR. DOMINICI DE SOTO ORD. PRAED.

collectus

PER FR. COSMAM DE LERMA eiuſdem Ordinis Sacræ Theologiæ Magiſtrum.

CVRSVS PHILOSOPHICI

Ex doctrina ſapientiſſimi Mag.

FR. DOMINICI DE SOTO ORD. PRAED.

collecti

PER FR. COSMAM DE LERMA eiuſdem Ordinis Sacræ Theologiæ Magiſtrum.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

TOMVS PRIMVS.

COMPENDIVM

SVMMVLARVM CONTINENS.

R O M AE,
Typis Nicolai Angeli Tinaſsij
M. DC. LIX.

Superiorum permiſſu.

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſs. Patri Magiſt. Sacri Palatij Apoſtolici.

M. A. Epiſc. Ierapol. Viceſg.

Fr. Raymundus Capiſuccus Sacri Palatij Apoſtolici Magiſter Ordinis Prædicatorum.

FR. IO. BAPTISTA DE MARINIS, Sac. Theol. Profeſſor, Ord. Pręd. humilis Generalis & Seruus Thomiſticæ iuuentuti.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

QVòd vnicum hunc Patris Lermæ Curſum Philoſophicum *ſelegerimus veſtris vſibus noſtro impendio recudendum, id vobis argumentum eſto, vt compendioſius ſic vtilius nihil excogitari à nobis potuiſſe, ad veſtros in litterarum Peripato greſſus & progreſſus tum regendos, tum vrgendos, ac promouendos, etiam in tanta Scriptorum noſtrorum copia, imò propter illam. Placet illud Ariſtippi apud Laertium:* non qui plurima, ſed qui vtiliſſima legerint, doctos autuma. *Porrò hìc ita legetis vtiliſſima, vt plurimis nequaquam opus ſit, quando hic vnicus & omnium inſtar eſt, & talis cui tenera diſcipulorum ingenia ſciamus poſſe tutiſſimè innutriri. Ergo ne vos aut obruat, aut obtundat varietas, vni huic Theſeo ſecurè vos addicite; fructum experientia mox commendabit.*

Auctor Lectoribus.

DIalecticæ, Logicæ, & Philoſophiæ opera ſapientiſſimi Magiſtri Soto, quem in Artium ſtudijs præceptorem ſemper habuimus, vt ad maiorem breuitatem, & quoad fieri poſſet ad maiorem etiam claritatem reducta prodirent, diù eſt deſideratum. Id Superiorum iniuncta obedientia facere aggredior. Faxit Deus, vt quod obedientia perficiat. En ergo vobis offero Dialecticam ſeu Summulas ſapientiſſimi Magiſtri Soto, eius in omnibus doctrinam ſeruando, ad maiorem, qua potui, breuitatem, & claritatem reductas. Et quamuis ipſe in quinque libros Dialecticam diuiſerit; ea, quæ in eoſdem quinque libros diſtribuit, in tres libros iuxta numerum & ordinem operationum intellectus, quarum Dialectica eſt directiua; perſtringimus. Et quamuis hic à difficilioribus quæſtionibus, quæ animum poſſent grauare incipientium, conſultò abſtineamus; earum tamen tractatum pro quotidianis diſputationibus in lucem edere promitto in ſtudentium vtilitatem, cui hic noſter qualiſcunque labor dirigitur, benigne perinde (vt ſpero) ab omnibus accipiendus.

Proœ-

LOgicæ, quæ eſt ars diſputandi, & intellectus dirigit diſcursũ, duplex eſt pars: altera quæ prioriſtica dicitur, & Dialecticæ ſeu Summularum nomine nuncupatur, circa formam verſatur diſcurſus: altera quæ poſterioriſtica appellatur, & quia principalior eſt, nomen ipſum retinet Logicæ, circa materiam verſatur diſcurſus, docens ex quibus præmiſſis, vt ſcientiam generet, diſcurſus procedere debeat. De priori autem dumtaxat Logicæ parte; quam Dialecticam appellamus, in præſenti eſt nobis agendum. Et quia illius præcipuus ſcopus eſt formam tradere ſyllogiſmi, quia ad tertiam intellectus operationem pertinet, & ad illum propoſitio quæ ad ſecundam & termini qui ad primam ſpectant intellectus operationem concurrunt, circa eandem triplicem intellectus operationẽ verſatur Dialectica; & iuxta illam ordinem & diuiſionem ſortitur. Eſt igitur triplex operatio intellectus ſimpliciũ

appræhenſio, compoſitio ſeu diui-
ſio, diſcurſus, ſeu ratiocinatio. ſim-
plicium appræhenſio, vt cum res
ſimplices, nihil de illis affirman-
do vel negando, appræhendimus:
compoſitio ſeu diuiſio eſt, cum de
aliquo aliquid affirmando vel ne-
gando enuntiamus: diſcurſus deni-
que ſeu ratiocinatio eſt, cum ex vno
alterum deducimus. Primæ intel-
lectus operationi omnes partes ſim-
plices propoſitionis, quas vocamus
terminos, correſpondent. Secundę
operationi propoſitio adaptatur.
Ad tertiam autem, conſequentia,
& ſyllogiſmus ſpectant: Vnde cum
de his agat Dialectica, rectè illam
diximus circa triplicem Intellectus
operationem verſari, recteq; etiam
iuxta eandem triplicem operatio-
nem ordinem & diuiſionem ſorti-
tur. Vnde totius Dialecticæ tra-
ctatum in tres diuidimus libros: in
quorum primo de termino, & ad
ipſum pertinentibus: in ſecundo de
propoſitione, eiuſq; proprietatibus:
& in tertio de conſequentia, & ſyl-
logiſmo differemus. IN-

INDEX EORVM, quæ in hoc tractatu Summularum continentur.

Lib.I. de termino, pag. 1.
Cap.I. De ſigno, & illius diuiſionibus, 1.
§.I. Definitio ſigni, & obiecti diuiſio, 1.
§.II. Diuiſio ſigni in formale, & inſtrumentale, 5.
§ III. Diuiſio ſigni in naturale, ad placitum, & ex conſuetudine, 9.
§.IV. Subdiuiſio ſigni formalis in conceptum non vltimatum, & vltimatum, 12.
§.V. Subdiuiſio ſigni formalis in conceptum directum, & reflexum, 13.
§.VI. Subdiuiſio ſigni formalis in notitiam intuitiuam, & abſtractiuam, 15.
Cap.II. De termino, & eius diuiſione in vocalem, mentalem & ſcriptū, 17.
§.I. Definitio termini, 17.
§.II. Diuiſio termini in vocalem, mentalem, & ſcriptum, 21.
Cap.III. De diuiſione termini in vniuocum, & æquiuocum, 23.
Cap.IV. De diuiſione termini in categorematicum, & ſyncategorematicum, 28.

Cap.

Cap. V. De diuiſionibus termini in communem, & ſingularem: & in diuiſiuum, & collectiuum, 32.
Cap. VI. De diuiſione termini in abſolutum, & connotatiuum, 38.
Cap. VII. De diuiſione termini in terminum primæ, & ſecundæ intentionis, 41.
Cap. VIII. De diuiſione termini in terminum complexũ, & incomplexũ, 43.
Cap. IX. De nomine, 47.
Cap. X. De verbo, 51.
Lib. II. De propoſitione, 56.
Cap. I. De oratione, 56.
Cap. II. De modo ſciendi, 60.
Cap. III. De definitione, 62.
Cap. IV. De diuiſione, 67.
Cap. V. De argumentatione, 71.
Cap. VI. De propoſitione, 75.
Cap. VII. De diuiſione propoſitionis ratione ſuæ ſubſtantiæ, 78.
Cap. VIII. De diuiſione propoſitionis ratione qualitatis, 81.
Cap. IX. De diuiſione propoſitionis ratione illius quantitatis, 85.
Cap. X. De materia propoſitionis, & diuiſione ipſius propoſitionis ratione materiæ, 88.
Cap. XI. De propoſitione hypothetica, eiuſque diuiſione, 91.

Cap.

Cap.XII. De conditionali; & illius diuiſione, 95.
§ I. Quid ſit conditionalis, & eius diuerſa acceptio, 95.
§.II. De conditionali illatiua, 98.
§.III. De locis arguendi in conditionalibus illatiuis, 100.
§.IV. De conditionatis non illatiuis, 103
§.V. Diuiſio propoſitionis conditionatæ in promiſſiuam, & aſſertiuam, 105.
Cap.XIII. De copulatiuis, 106.
Cap.XIV. De diſiunctiuis, 108.
Cap.XV. De qualitate & quãtitate propoſitionis hypotheticæ, 111.
§.I. De qualitate conditionalis, & cauſalis, 111.
§.II. De qualitate copulatiuę & diſiunctiuæ, 114.
§.III. De quantitate hypotheticę, 116.
Cap.XVI. De ſuppoſitione, & eius diuiſionibus, 119.
§.I. Quid ſit ſuppoſitio, 119.
§.II. Diuiſio ſuppoſitionis in ſuppoſitionem formalem,& materialem, 123
§.III. Diuiditur ſuppoſitio formalis in ſuppoſitioně propriã & impropriã, 124
§.IV. Diuiditur ſuppoſitio formalis in ſimplicem, & perſonalem, 128.
§ V. Subdiuiditur ſuppoſitio perſonalis in naturalem,& accidentalem. 130.
§. vj.

§.VI. Subdiuiditur ſuppoſitio perſonalis in communem, & ſingularem, 132
¶.VII. Sex ſtatuuntur regulæ ſuppoſitionis, 134.
Cap.XVII. De relatiuis, 139.
¶.I. Quid, & quotuplex ſit relatiuũ, 139.
¶.II. Quomodo reſoluatur relatiuũ, 141.
¶.III. Quę propoſitiones ſint immediatè reſolubiles ratione relatiui, 143.
¶.IV. Qualiter relatiuum non reciprocũ referat reſtrictè ſuũ antecedens, 145
¶.V. Qualiter ſupponat relatiuum, 147.
Cap.XVIII. De ampliatione, & reſtrictione, 149.
¶.I. Quod ſit ampliatio, & reſtrictio, 149.
¶.II. Regulæ ampliationis, 152.
¶.III. Loci arguendi in reſtrictione, & ampliatione, 154
Cap.XIX. De alienatione, 157.
Cap.XX. De appellatione, 159.
¶.I. Quid, & quotuplex ſit appellatio, 159
§.II. Regulæ appellationis realis, 161.
§.III. Regulę appellationis rationis, 164.
¶.IV. Regulę pro nominibus numeralibus, 167.
Cap.XXI. De oppoſitione, 169.
¶.I. De ſubalternis, 169.
¶.II. Quid, & quotuplex ſit oppoſitio, 171
¶.III. Modus, & lex cuiuſuis oppoſitionis, 174

¶.iv.

¶.IV. Conditiones cuiuslibet ſpecialis oppoſitionis, 178.
§ V. Regulę ad cognoſcendum contrarias, & ſubcontrarias, 183.
Cap.XXII. De ęquipollentijs, 186.
Cap.XXIII. De conuerſionibus, 189.
¶.I. Quid & quotuplex ſit conuerſio, 189
¶.II. Quid ſit conuerſio ſimplex, & quibus propoſitionibus competat, 192.
¶.III. Quid ſit conuerſio per accidens, & quibus propoſitionibus cōpetat, 194
§.IV. Loci arguendi cum variatione prędicati penes finitum, & infinitū, 195.
¶.V. Quid ſit conuerſio per contrapoſitionem, & quibus propoſitionibus competat, 197.
Cap.XXIV. De modalibus, 200.
§.I. Quę, & quotuplex ſit propoſitio modalis, 200.
¶.II. Diuiſio propoſitionis modalis in modalem compoſitam, & diuiſam, 202.
§.III. De oppoſitione, & ęquipollentia in modalibus compoſitis de termino ſingulari, 208.
¶.IV. De oppoſitione, ęquipollentia in modalibus compoſitis de termino communi, 213.
§.V. De oppoſitione, & ęquipollentia in modalibus diuiſis, 220.
Cap.

Cap. XXV. De excluſiuis, 222.
§.I. Quid ſit propoſitio exponibilis, & diuerſa acceptio particulę excluſiuæ, 222.
§.II. De expoſitione propoſitionum excluſiuarum, & locis in illis arguendi, 225.
§.III. De conuerſione, & oppoſitione excluſiuarum, 228.
Cap. XXVI. De exceptiuis, 230.
§.I. Quę ſint propoſitiones exceptiuę, & quomodo illarum termini ſupponunt. 230.
§.II. De expoſitione exceptiuarum, & locis in illis arguendi, 232.
Cap. XXVII. De reduplicatiuis, 236.
§.I. De diuerſis acceptionibus particulæ reduplicatiuæ, 236.
§.II. De propoſitionibus diminutiuis, & ſpecificatiuis, 237.
§.III. De propoſitionibus reduplicatiuis, & earum expoſitione, & oppoſitione, 238.
§.IV. De locis arguendi in reduplicatiuis, 242.
Cap. XXVIII. De propoſitionibus exponibilibus de verbo *incipit* & *deſinit*, 244.
Cap. XXIX. De alijs propoſitionibus exponibilibus, 248.

Lib.

Lib.III. De ſyllogiſmo, 251.
Cap.I. De conſequentia, 251.
§.I. Quid & quotuplex ſit conſequentia, 251.
§.II. De regulis bonæ conſequentiæ, 255.
§.III. De effectibus, & defectibus bonæ, & malæ conſequentiæ, 259.
Cap.II. De inductione, 260
§.I. Quid, & quotuplex ſit inductio, 260.
§.II. De regulis inductionis, 263.
Cap.III. De ſyllogiſmo, & eius in communi principijs, 265.
¶.I. Quid, & quotuplex ſit ſyllogiſmus, 265.
§.II. De principijs materialibus, & formalibus in communi ſyllogiſmi, 268.
Cap.IV. De modo, & figura ſyllogiſmi, 271.
Cap.V. De modis ſyllogiſmorum in triplici figura, 273.
¶.I. Proponuntur, & explicantur omnes modi ſyllogiſmorum, 273.
§.II. Aliquę circa omnes prædictos modos proponuntur aduertentiæ, 280.
Cap.VI. De aliquibus conditionibus generalibus, & ſpecialibus ſyllogiſmorum, 284.
§.I. Conditiones generales pro ſyllogiſmis cuiuſcunque figuræ, 284.

§.II.

§.II. Conditiones ſpeciales ſyllogiſmorum cuiuſcunque figuræ, 289.
Cap. VII. De defectibus intrinſecis, & extrinſecis ſyllogiſmorum, 291.
§.I. De defectibus intrinſecis, 291.
§.II. De defectibus extrinſecis ſyllogiſmorum, 295.
Cap. VIII. De reductione ſyllogiſmorum imperfectorũ ad perfectos, 296
§.I. De reductione oſtenſiua ſyllogiſmorum, 296.
§.II. De reductione ſyllogiſmorum per impoſsibile, 301.
Cap. IX. De inuentione medij ſyllogiſmorum, 313.
Cap. X. De ſyllogiſmo expoſitorio, 316.
§.I. De principijs ſyllogiſmi expoſitorij, 316.
§.II. De ſyllogiſmo expoſitorio, 318.

LIBER PRIMVS SVMMVLARVM de termino.

CAPVT I.

De ſigno, & illius diuiſionibus.

§. I.

Deſinitio ſigni, & obiecti diuiſio.

QVIA vt in ſequentibus videbimus, terminus, oratio, & propoſitio rationem imbibit ſigni: & iuxta diuerſitatem termini & orationis, vocalis, videlicet, vel mentalis, diuerſa in illis ratio ſigni includitur, oportet ad omnia hæc naturam & diuiſiones præmit-

tere ſigni, vt illius aliqualiter præhabita notitia, ad alia explicanda poſſimus procedere. Eſt igitur *ſignum quod potentiæ cognoſcitiuæ aliquid aliud à ſe, repræſentat*, Pro cuius definitionis intelligentia eſt aduertendum, quod quicquid obijcitur potentiæ, illius terminat cognitionem, obiectumque ipſius dicitur potentiæ. Inter obiecta autem cognoſcibilia, alia ad ſuimet cognitionem mouent potentiam, illiuſque cognitionem terminant; alia vero non tàm ad ſui, quàm ad aliorum cognitionem, quorum loco ſubſtituuntur potentiam mouent cognoſcitiuam, & illa non ſolum obiecti, ſed rationem obtinent ſigni.

2 Eſt igitur triplex obiectum potentiæ: motiuum videlicet tantum: terminatiuum tantum: motiuum & terminatiuum ſimul. Motiuum tantum, (quod ſic dicitur quia videlicet mouet, & non terminat potentiam) eſt quod mouet potentiam ad formandam notitiam non ſui, ſed alterius rei repræſentatiuam: vt imago quæ obiecta potentiæ, mouet illam ad formandam notitiam repræſentatiuam quidem non ipſius imaginis, ſed ſui Prototypi, quod eſt quid ab ipſa imagine diſtinctum, licet per illam repræſentatum. Obiectum terminatiuum tantum, (ſic dicitur quia ſolum terminat cognitionem potentiæ, ad illam tamen non mouet,) eſt res cognita per notitiam: vt Imperator ſecundum quod cognoſcitur media

ſua

ſua imagine eſt obiectum terminatiuum tantum, quia terminat quidem potentiæ cognitionem, ad illam tamen non mouet potentiam ipſemet Imperator, ſed aliud obiectum ab ipſo diſtinctum, ſcilicet ipſiuſmet Imperatoris imago. Obiectum denique motiuum & terminatiuum ſimul, (quod ſic dicitur quia ſimul mouet potentiam & terminat cognitionem illius) eſt quod mouet potentiam ad formandam notitiam ſui ipſius, vt lapis cum ſeipſo, & non media ſui imagine obijcitur potētiæ, mouet quidem potentiam ad formandam notitiam ſui ipſius & non alterius, & in illius cognitione actus etiam potentiæ ſiſtis & terminatur. Quicquid igitur ſit an cum in aliquo & ratio obiecti, & ratio ſigni coincidit, formaliter vtraque ratio in illo diſtinguatur, non tamen in omni obiecto, nec materialiter ratio ſigni coincidere poteſt, nec omne obiectum rationem ſigni obtinet, licet omne ſignũ rationem habeat obiecti, ſed ſolum obiectum motiuum tantum rationem ſimul obtinet ſigni.

3 His ergo præmiſſis, facile propoſita ſigni explicatur definitio. Sunt enim aliquæ res quas non tam vt ſint, quam vt aliud repræſentent, inſtituit natura, vel hominum impoſitio: & iſtæ rationem obtinent ſigni, quia potentiæ cognoſcitiuæ aliquid aliud à ſe repræſentant, vt fumus repræſentat ignem, veſtigium pulueri impræſſum repræſentat animal quod

tranſiuit, vox verbi gratia, homo, ipſum hominem potentię cognoſcitiuæ repræſentat. Viſo enim fumo non ſiſtit potentia cognoſcitiua, ſed ad cognitionem ignis pertranſit: Viſo ſimiliter veſtigio alicuius animalis pulueri impræſſo, per ipſum potentia cognoſcitiua in cognitionem ducitur animalis, quod per talem tranſiuit viam: Auditaque etiam hac voce homo, non in ipſiuſmet vocis cognitione potentia perſiſtit, ſed ad cognitionem tranſit hominis ſignificati per vocem.

4 Aduerſus præfatam ſigni definitionem obijcies. Quod imago de facto nulli obiecta potentiæ, & hæc vox verbi gratia homo in libro clauſo ſunt ſigna. Et tamen non repræſentant aliquid potentiæ cognoſcitiuæ. Ergo prædicta ſigni definitio non eſt bona, ſiquidem non omnibus conuenit ſignis. Maior probatur quia tunc imago naturalem proportionem retinet cum ſuo Prototypo, in qua eius ſignificatio fundatur: & vox illa adhuc ſuam retinet impoſitionem, à qua oritur ſignificatio. Ergo adhuc tunc vox illa & imago veram habent rationem ſigni. Minor vero etiam oſtenditur, qua tunc talia ſigna nulli potentiæ ſunt præſentia. Ergo non repræſentant aliquid potentiæ cognſcitiuæ.

5 Reſpondetur conceſſa maiori, diſtinguendo minorem: non repræſentant aliquid potentiæ cognoſcitiuæ actualiter, con-

concedo minorem, aptitudine, nego minorem: quia adhuc tunc habet aptitudinem, vt potentiæ obijciantur cognoſcitiuæ, illique imago ſuum Prototypum, & vox illa hominem repræſentet. Et hoc ſufficit vt illis competat prædicta ſigni definitio, quia verba in tali definitione poſita, ſicut in alijs definitionibus (præter illas dumtaxat in quibus aliquod exercitium actuale definitur) non dicunt actum, ſed aptitudinem.

§. II.

Diuiſio ſigni in formale, & inſtrumentale.

6 OMne ſignum medium eſt ductiuum potentiæ in cognitionem ſignati. Vnde iuxta duplicem rationem medij ductiui prima aſſignatur diuiſio ſigni. Eſt enim medium ductiuum, alterum per quod, alterum autem medium in quo. Medium per quod, eſt illud quod prius cognitum ducit in cognitionem alterius. Medium vero in quo, eſt illud in quo obiectum ſic relucet, vt abſque præuia cognitione ipſius medij ducat in cognitionem obiecti. Iuxta hanc igitur medij diſtinctionem primo diuiditur ſignum in cõmuni, & in tota ſua latitudine acceptum, in ſignum formale & inſtru-

mentale. Signum inſtrumentale (quod vtique ratione obtinet medij per quod,) eſt quod præexiſtente cognitione ſui aliquid aliud facit in cognitionem venire. Per illam particulam, præexiſtente cognitione ſui, à ſigno diſtinguitur formali, quod vt in cognitionem ducat ſignati, præexiſtentem ſui non exigit cognitionem. Intelligitur autem in hac ſigni inſtrumentalis definitione præexiſtens ſigni cognitio, formaliter in quantum ſigni: id eſt quod vt ſignum inſtrumentale ducat in cognitionem ſignati, non ſufficit quælibet ipſius ſigni præexiſtens cognitio, ſed requiritur quod præexiſtat cognitio illius in quantum ſignum eſt, & coaptationem habet ex natura rei, vel ex impoſitione cum ſuo ſignato: ſicut imago, verbi gratia, Diui Thomæ vt ducat in cognitionem illius, requiruntur quod prius cognoſcatur vt proportionem habens cum Diuo Thoma. Vnde ad cognitionem ſignati per ſignum inſtrumentale duæ prærequiritur notitiæ: notitia videlicet ſigni, & notitia ſignati: vt in exemplo adducto, vt per imaginem Diui Thomæ ipſum Diuum Thomam quis agnoſcat, requiritur quod prius ipſam imaginem cognoſcat, & notitiam etiam prius habeat Diui Thomæ: aliàs non poterit cognoſcere imaginem in ratione ſigni, & vt proportionem habet magis cum Diuo Thoma quam cum alio.

7 Signum autem formale (quod eſt me-

medium in qua) eſt formalis notitia rei illam ſe ipſa, & non mediante alio potentiæ cognoſcitiuæ repræſentans: vt cóceptus quem quis de aliquo habet obiecto, eſt ſignum formale illius. Per illam autem particulam, formalis notitia, excluditur à ratione ſigni formalis, cognitio ſeu actus cognoſcendi, qui quamuis poſſit dici notitia obiecti, non tamen eſt formalis notitia illius, quia non eſt formaliter ſimilitudo illius, ſed tantum præſuppoſitiue & cauſaliter: præſuppoſitiue quidem, quatenus ſupponit ſpeciem impræſſam, quæ eſt formalis ſimilitudo obiecti: & cauſaliter, quatenus ſpeciem cauſat expræſſam, quæ etiam eſt obiecti formalis ſimilitudo. Quod vtique ex nunc aduertat Dialecticus, ne poſtea in rebus Theologicis allucinetur. Si enim cognitionem ipſam, ſeu actum cognoſcendi, formalem admittat eſſe obiecti ſimilitudinem, in idem incidet inconueniens, ac illi qui creatam Dei ſpeciem quidditatiuam expræſſam, vel impræſſam poſſibilem eſſe admittunt. Cum enim quidditatiua Dei creata cognitio neceſſario admittatur, ſi illa eſt formalis obiecti ſimilitudo, non erit cur creata ſpecies impræſſa, vel expræſſa quidditatiua Dei poſſibilis denegetur. Sed hæc Dialectici ſuperant captum, & illa nunc inſinuaſſe ſufficiat pro intelligentia primæ particulæ diffinitionis ſigni formalis. Per alteram autem particulam ſcilicet, ſe ipſa

& non mediante alio repręſentans, quæ ponitur ad differentiam ſigni inſtrumentalis, denotatur quod vt ſignum formale in cognitionem ducat ſignati, non exigit aliquam ſuimet præexiſtentem cognitionem.

8 Ex duplici autem præfata ratione ſigni ſolum inſtrumētale definiuit D. Auguſt. 2. de Doctrina Chriſtiana, cap.2.dicens: *Signum eſt quod præter ſpecies quas ingerit ſenſibus, aliquid aliud facit in cognitionem venire*. Vel quia exiſtimauit ſolum ſignum inſtrumētale eſſe propriè ſignum: vel quia de illo ſolum vt magis nobis noto locutus eſt. Imò in ea definitione ſolum de ſigno inſtrumentali ſenſibili locutus eſt D Auguſtinus, noſtràque aſſignata definitio magis late patet, & ſignis etiam inſtrumentalibus non ſenſibilibus (ſi quæ ſunt) competere poteſt. Probabile enim eſt dari ſigna inſtrumentalia non ſenſibilia, vt conceptus quem de aliqua re vnus Angelus format licet reſpectu illius ſit ſignum formale talis rei, idem tamen conceptus ſecundum quod per illũ prius cognitum ducitur alius Angelus in cognitionem eiuſdem rei reſpectu illius probabiliter dicitur, quod rationem ſigni obtinet inſtrumentalis.

§. III.

§. III.

Diuiſio ſigni in naturale, ad placitum, & ex conſuetudine.

9 Altera diuiſio ſigni in communi, & in tota ſua latitudine accepti eſt in ſignum naturale, ſignum ad placitum, & ſignum ex conſuetudine. Signum naturale eſt quod ex natura rei potentiæ cognoſcitiuæ aliquid aliud à ſe repræſentat: ex natura inquam rei, id eſt, ex proportione naturali quam habet cum ſuo ſignato quauis impoſitione & conſuetudine ſemota, vt imago ex natura ſua, & ex proportione naturali quam habet cum ſuo Prototypo illum potentiæ cognoſcitiuæ repræſentat abſque eo quod aliqua interueniat impoſitio imaginis, vel conſuetudo ad id repræſentandum. Hinc eſt quod ſignum naturale idem apud omnes repræſentat, quia eandem reſpectu cuiuſlibet potentiæ habet proportionem naturalem cum ſuo ſignato: Et ſimiliter non poteſt deponi à ſua ſignificatione, quia non poteſt naturalem non retinere cum ſuo ſignato proportionem.

10 Signum ad placitum eſt quod ex impoſitione aliquid potentiæ cognoſcitiuæ repræſentat, vt hæc vox homo ex

impoſitione repræſentat hominem: Ex impoſitione, inquam, voluntaria habentis authoritatem ad imponẽdum, quod & vocibus & rebus competere poteſt. Poteſt enim Reſpublica quamlibet vocem etiam non habentem ex ſe proportionem cũ aliquo, ad illud ſignificandum imponere: imò & vnam rem imponere ad ſignificandam aliam, ſicut impoſuit Chriſtus Sacramenta ad ſignificandam gratiam, & ratione talis impoſitionis ſunt ſigna ad placitum ipſius gratię. Hinc eſt quod ſignum ad placitum nõ idem apud omnes repręſentat, ſed apud eos tantum, apud quos eius viget impoſitio. Eadem enim vox iuxta diuerſam impoſitionem, quam apud diuerſas poteſt habere nationes, diuerſam poteſt induere ſignificationem: Similiter poteſt ſignum ad placitum à ſua deponi ſignificatione, quia cum hæc dependeat ab impoſitione alicuius voluntaria, poteſt ipſemet, vel alius ei ſuperior talem impoſitionem retractare, & ita ſignum à ſua cadet ſignificatione.

11 Signum denique ex conſuetudine eſt quod ex vſu quodam & conſuetudine aliquid potentiæ cognoſcitiuæ repræſentat, vt canis ſæpe viſus præcedere dominum ſuum quamuis naturalem proportionem non habeat cum illo, & ſic non ſit ſignum naturale illius, & licet ad illud ſignificandum non ſit impoſitus, & ita non ſignificet illum ad placitum; ex conſuetudine tamen repræſentat dominũ viuentem.

rem. Signum autem ex conſuetudine reductiue ad ſignum pertinet naturale, vel ad placitũ: quia enim cõſuetudo eſt quaſi altera natura, ſi conſuetudo ex qua oritur ratio ſigni, fundetur in ipſis naturis rerũ vt in exemplo adducto (naturale eſt enim cani præcedere dominum) tale ſignum ad naturale reducitur. Si autem conſuetudo à principio ortum habuerit in hominum voluntate, vt conſuetudo apponendi ramum pro vino vendibili, ſignum ex ea conſuetudine ſignificans ad ſignum reducitur ad placitũ. Huiuſmodi autem ſigni diuiſio per diuerſas rationes formales datur ſigni: nec enim inconuenit quod in eodem materiali reſpectu eiuſdẽ vel te reſpectu diuerſi ſignati, diuerſa ratio, naturalis ſigni & ad placitum coincidat: vt in iride, quæ poſt pluuiam apparet in cœlo eſt ratio ſigni naturalis futuræ proximę ſerenitatis, & ratio etiam ſigni ad placitum, quod non ſit futurum vnquam vniuerſale diluuium: ex proportione enim naturali quam habet, primum ſignificat: ſecundum autem, ex voluntate Dei imponentis talem arcum in nubibus cœli apparentem vt ſignificet nunquam ſe ſicut olim vniuerſali diluuio mundum deſtructurum, vt ſuam ad id voluntatem & impoſitionem expręſſit Geneſis cap. nono.

§. *IV.*

Subdiuiſio ſigni formalis in conceptum non vltimatum, & vltimatum.

12 POſitis diuiſionibus ſigni in communi, triplex eſt ſigni formalis ſubdiuiſio in hoc & duobus ſequentibus paragraphis explicanda. Primò igitur diuiditur ſignum formale in conceptum vltimatum, & non vltimatum. Conceptus non vltimatus (qui ſic dicitur quia in illo non vltimo ſiſtit intellectus, ſed ad alterum tranſit conceptum) deſcribitur ab aliquibus quod ſit conceptus termini, ſed cum non ſolum conceptus termini, ſed conceptus cuiuſcumque ſigni inſtrumentalis ſit via ad alium conceptum, melius dicitur quod conceptus nō vltimatus eſt conceptus ſigni inſtrumentalis, vt ſub hac deſcriptione omnis conceptus nōn vltimatus comprehendatur. Conceptus autem vltimatus (qui ſic dicitur quia in illo vltimo ſiſtit intellectus, nec ad alterum formandum tranſit conceptum) eſt conceptus rei, vt conceptus quem formamus de lapide in ſe ipſo, vel per eius ſignum cognito. Pro quo eſt aduertendum, quod hoc nomen, vltimatus, poteſt accipi & poſitiue, & negatiue: poſitiue quidem dicit reſpectum ad alium

non

non vltimum & negationem alterius poſt ipſum; Negatiue autem ſolum dicit quod non ſit aliud poſterius poſt ipſum. Conceptus igitur quem habemus de re aliqua medio ſigno inſtrumentali illius cognita, eſt vltimatus poſitiue, quia dicit ordinem ad priorem conceptum ipſius ſigni, & ipſe non eſt via ad alium conceptum. Conceptus autem, quem de re aliqua in ſe ipſa, & non medio aliquo illius ſigno inſtrumentali cognita, formamus, dicitur conceptus vltimamus negatiue, quia licet non præſupponat priorem alium conceptum, ipſe non eſt via ad alium. Præfata autem diffinitio conceptus vltimati, quod videlicet ſit conceptus rei, tàm conceptum vltimatum poſitiue, quam conceptum vltimatum negatiue comprahendit.

§. V.

Subdiuiſio ſigni formalis in conceptum directum & reflexum.

13 Diuiditur itidem ſignum formale in conceptum directum & reflexum, Conceptus directus eſt conceptus rei, conceptus autem reflexus eſt conceptus alterius conceptus. Pro quarum definitionum intelligentia eſt aduertendum, quod quicquid aliquis per ſuum conceptũ cognoſcit, ſiue ſignum, ſiue aliam rem di-

dicitur illud directe cognoſcere, quia in tali cognitione non reflectitur ſupra ſuam cognitionem, & ſupra ipſum quem formauerat conceptum. Et ſic in definitione conceptus directi cum dicitur conceptus rei, nomine rei intelligitur omnis res, quæ non fuerit conceptus. Hinc etiam patet intelligentia definitionis conceptus reflexi, quod videlicet ſit conceptus alterius conceptus quia cũ quis reflectitur ſupra ſuã cognitionem, & vult cognoſcere conceptũ quem prius habuerat, talis quem per talem reflexiuam cognitionem format conceptum, eſt conceptus alterius conceptu, ac perinde conceptus reflexus. An autem talis detur conceptus reflexus, & vt cognoſcat quis ſuum quem formauerat conceptum alius conceptus requiratur, qui ſit & dicatur conceptus reflexus, nec ſufficiat conceptus directus vt ille ſemetipſo abſque alio conceptu cognoſcatur, grauem ingerit difficultatem Dialectici captum longè ſuperantem, de qua forſan poſtea in diſputationibus ſuper hoc caput diſseremus. Nunc ſufficit Dialectico ſcire quod ſi talis datur conceptus reflexus, ille rectè definiatur, vt explicuimus quod ſit conceptus alterius conceptus.

§. VI.

VITTORIO EMANUELE

§. VI.

Subdiuiſio ſigni formalis in notitiam intuitiuam, & abſtractiuam.

14 VLtimo tandem diuiditur ſignum formale in notitiam intuitiuam, & abſtractiuam. Pro cuius intelligentia aliqualiter oportet præmittere qualiter fiat intellectio, ad intelligendum enim aliquid quando obiectum non poteſt ſe ipſo vniri immediate cum intellectu oportet quod vniatur cum intellectu media ſua ſpecie & ſimilitudine, quæ, quia imprimitur intellectui dicitur ſpecies impræſſa. Intellectus autem fœcundatus ſpecie elicit cognitionem, iuxta illud commune proloquium, ab obiecto & potentia paritur notitia: ſpecies igitur vicem gerens obiecti fœcundat intellectum, vt eliciat cognitionem, quæ nihil aliud eſt quam tendentia quædam in obiectum, & per illam producitur verbum, ſeu imago altera obiecti; quæ quia ipſum exprimit obiectum, ſpecies dicitur expræſſa. Ex his ergo tribus, ſpecies impræſſa non dicitur notitia, ſed potius principium notitiæ: cognitio autem ſeu actus cognoſcendi, licet quodammodò poſſit dici notitia, quia tamen (vt diximus parrapho ſecundo præcedenti) non eſt formalis ſimilitudo obie-

ćti,

cti, nec eſt formalis notitia illius. Solum igitur ſpecies expræſſa, in qua intellectus contemplatur obiectum, eſt formalis notitia illius. Et hæc in præſenti (vt diximus) diuiditur in notitiam intuitiuam, & abſtractiuam. Notitia intuitiua eſt notitia rei præſentis, vt notitia & conceptus quem formo huius papyri. Notitia abſtractiua eſt notitia rei abſentis vt notitia & conceptus quem habeo parentis mei defuncti.

15 Inter vtramque autem præfatam notitiam quadruplex verſatur differentia. Prima ex parte cauſæ efficientis, quia notitia intuitiua cauſatur ab obiecto præſenti immittente, vel conſeruante ſpecies; notitia vero abſtractiua cauſatur ab ſpeciebus relictis in memoria in abſentia obiecti. Secunda ex parte effectus, quia connaturaliter ſemper notitia intuitiua clarior & certior eſt, quam abſtractiua. Tertia ex parte ordinis: quia notitiam abſtractiuam ſemper præcedit intuitiua, vel eiuſdem, vel diuerſi obiecti: eiuſdem quidem, vt cum noui hominem præſentem, & poſtea in abſentia illius ipſum cognoſco: diuerſi obiecti, vt cum ex cognitione alicuius habeo alterius abſtractiuam, & connotatiuam cognitionem; vt cum ex cognitione, quam habeo, vel habui creaturarum, Deum abſtractiue & connotatiue cognoſco. Quarta denique differentia eſt ex parte ſubiecti. notitia enim intuitiua in ſenſibus externis, & in-

ter-

ternis, atque, etiam in intellectu poteſt reperiri; notitia abſtractiua non niſi in intellectu.

CAPVT II.

De termino, & eius diuiſione in vocalem, mentalem, & ſcriptum.

§. I.

Definitio termini.

TErminus (qui ſic dicitur, quia eſt vltimum elementum; in quod tanquam in partem propoſitio reſoluitur, ac perinde primum principium compoſitionis ipſius propoſitionis,) priuſquam in diuerſas termini rationes diuidatur, debet in communi, & in tota ſua latitudine acceptus definiri. Quamuis enim aliqui imitantes Ariſtotelem, qui omittens definitionem nominis, vt eſt cõmune ad mentale, vocale, & ſcriptum, nomen definierit per vocem; ſimiliter omittentes definitionem termini in communi, illum definiunt, quod ſit vox ſignificatiua ad placitum, ex qua ſimplex conficitur propoſitio; vel quia loquuntur ſolum de termino vocali, vt magis noto,

vel

vel quia talis definitio, paucis mutatis, facile poteſt adaptari termino in communi. Tamen melius incipimus, ſi propriam definitionem termini in communi abſque neceſſitate aliquid mutandi vel adaptandi, traddamus.

2 Terminus igitur in communi eſt *ſignum ex quo ſimplex conficitur propoſitio*. Quæ definitio coincidit cum altera, quæ aliter ſolet tradi, nempè quod *terminus ſit ſignum categoricæ propoſitionis conſtitutiuum, ſeu compoſitiuum*: per quamlibet enim iſtarum definitionum rectè natura termini in communi, & in tota ſua latitudine accepti explicatur, omnibuſque terminis vtraque talis competit definitio. In illaque *ſignum* ponitur loco generis, quia ſignum & materiale ſigni, & ipſam ſignificationem includit. Per ſignificationem excluditur à ratione termini quælibet res ſignificationis expers. Per alteram autem particulam, *ex quo ſimplex conficitur propoſitio*, excluditur à ratione termini ipſa propoſitio tam categorica, quam hypothetica, quia neutra illarum ſimplicem componit propoſitionem. Licet enim categorica componat propoſitionẽ, non tamen ſimplicem, ſed hypotheticam, & compoſitam componit propoſitionem.

3 Obijcies primo: quod Ariſtoteles primo priorum terminum definit per id quod ſit ſubiectum vel prædicatum propoſitionis, afferens: *Terminum voco, in quem tanquam in ſubiectum, vel prædicatum*

pro-

propoſitio reſoluitur. Eodem ergo modo, vt Philoſopho conformemur, terminum definire debemus. Reſpondetur: Ariſtotelem ibi definire terminum, non in tota ſua latitudine, ſed ſolum vt ad artem deſeruit ſyllogiſticam, & vt medium vel extremitas poteſt eſſe ſyllogiſmi: quod vtique ſolum ſubiecto, & prædicato competere poteſt. Nos tamen cum ipſo Ariſtotele alijs in locis, & D. Thoma, ac communi Dialecticorum conſenſu, terminum in latiori acceptione accipientes, vt communis videlicet eſt omni parti propoſitionis, ſiue ſubiectum vel prædicatum ſit, ſiue verbum, etiam quando rationem non induit prædicati, ſiue quomodolibet ſit pars propoſitionis, vt termini ſyncategorematici (quibus omnibus vera ratio competit termini) terminum rectè per prædictam definitionem explicamus.

4 Obijcies ſecundò, propoſitionem non rectè excludi à ratione termini per illam particulam: *ex quo ſimplex conficitur propoſitio*. Non igitur rectè talis particula ponitur ad excludendum propoſitionem à ratione termini. Probatur antecedens: nam etiam ſimplex propoſitio aliam propoſitionem ſimplicem componere poteſt, vt hæc propoſitio, *homo eſt animal*, componit hanc ſimplicem, *homo eſt animal eſt verum*. Ergo propoſitio non rectè excluditur per prædictam particulam à ratione termini. Reſpondetur, negando antecedens ad priuationem diſtinguendo antecedens.

Pro-

Propoſitio poteſt componere propoſitionem ſimplicem: per ſe, nego antecedens: per accidens, concedo antecedens. Et negatur conſequentia. Quia in definitione termini, illa particula intelligitur, quod per ſe ſit compoſitiuus ſimplicis propoſitionis; nec ſufficit, quod illam componat per accidens. Pro quo eſt aduertendum: quod aliqua ſunt per ſe partes, & per ſe ordinantur ad compoſitionem totius: alia autem per ſe habent rationem totius; & ſi aliquando ordinantur ad aliud totum cõponendum, ad id non ordinantur per ſe, ſed per accidens, vt in naturalibus, & artificialibus conſtat. In naturalibus quidem, nam oſſa, & caro hominis per ſe ſunt partes illius, & per ſe ad illum componendum ordinantur; ipſe autem homo, quia per ſe habet rationem totius, ſi aliquando ad aliud totum, vt ad exercitum componendum, ordinetur, non ordinatur ad id per ſe, ſed per accidens: Similiter in artificialibus: claui, ligna, & tabulæ ſunt per ſe partes, & ad componendam domum v.g. per ſe ordinatæ: domus autem ipſa, quia per ſe eſt totum, ſi aliquando aliud totum, vt aliam domum maiorem componat, non per ſe, ſed per accidens ad id ordinatur. Eodem ergo modo in artificialibus logicis termini ſunt per ſe partes, & per ſe ordinati ad componendam ſimplicem propoſitionem, (& ſic intelligitur illa particula, *ex quo ſimplex conficitur propoſitio*, in definitione termini) Propoſitio au-

tem, quia eſt totum per ſe, ſi aliquando, vt in exemplo in argumento adducto, aliam ſimplicem componat propoſitionem; non per ſe, ſed per accidens ad illã componendam ordinatur: & ſic nõ competit illi prædicta particula definitionis termini, vt illam intelligendam eſſe explicuimus.

§. I I.

Diuiſio termini in vocalem, mentalem, & ſcriptum.

5 PRimò diuiditur terminus in vocalẽ, mentalem, & ſcriptum. Terminus vocalis eſt *vox ſignificatiua ad placitum, ex qua ſimplex conficitur propoſitio*, vt hæc vox *homo* In qua definitione *vox* ponitur loco generis; *ſignificatiua* ad differentiam vocũ non ſignificantium, vt hæc vox *Blitri*, quæ nihil ſignificat: *ad placitum* ponitur ad differentiam vocum ſignificantium naturaliter, vt gemitus, qui quamuis dolorem ſignificet, non ad placitum, ſed naturaliter ſignificat illum, *ex qua ſimplex conficitur propoſitio*, ponitur (vt explicuimus. §. præcedenti in definitione termini in communi) ad differentiam propoſitionis, quæ ſimplicem propoſitionem componere nequit. Terminus ſcriptus eſt *ſcriptura ſignificatiua ad placitũ, ex qua ſimplex cõficitur propoſitio*, vt iſte terminus *homo* in libro ſcriptus. Quæ definitio in omnibus conuenit

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

nit cum præcedenti, niſi quod in illa loco generis *vox*, in iſta autem ponitur *ſcriptura*. Terminus denique mentalis eſt *notitia formaliter ſignificatiua, ex qua ſimplex conficitur propoſitio mentalis*: vt quilibet conceptus ſimplex. In qua definitione, *notitia* ponitur loco generis, & *formaliter ſignificatiua* ad differentiam cognitionis, ſeu actus cognoſcendi, qui vt diximus capite præcedenti parrapho ſecundo) licèt ſit notitia, non tamen eſt formaliter ſignificatiua. Et illa particula, *ex qua ſimplex conficitur propoſitio mentalis* ponitur ad differentiam propoſitionis mentalis, quæ ſimplicem non poteſt componere propoſitionem, eo modo, quo de omni propoſitione diximus ſimplicem propoſitionem, per ſe videlicet, non poſſe componere.

6 Aduerſus definitionem termini vocalis obijcies: quod hæc vox *Blitiri* vere eſt terminus. Malè igitur in definitione termini vocalis à ratione termini per illã particulam *ſignificatiua*, excluditur. Probatur antecedens. Nam vere competit ei vltima, & eſſentialis differentia termini, ſcilicet componere ſimplicẽ propoſitionẽ. Cõponit enim hanc ſimplicem propoſitionem *Blitiri eſt triſyllabum*. Vere ergo prædicta vox rationem obtinet termini. Reſpondetur: negando antecedens. Ad probationem diſtinguitur antecedens. Componit propoſitionem, materialiter, concedo antecedens; formaliter & ſignificatiue, nego antecedens. Et neganda eſt

con-

conſequentia. Quia componere ſimplicem propoſitionem debet intelligi in definitione termini, id eſt, componere illam formaliter, & ſignificatiue, & vt ſubſtitutum loco alterius. Hæc autem vox *Blitiri* cum prædictam componit propoſitionem, non componit illam formaliter & ſignificatiuè, ſed materialiter, & vt pro ſemeptipſa accipitur. Vel poteſt dici, quod illa propoſitio, *Bluiri eſt triſyllabum*, æquiualet huic, *hæc vox Blitiri eſt triſyllabum*, cuius pars non eſt ſolum *Blitiri*, ſed totum illud complexum. *Hæc vox Blitiri*, quod vtique complexum verè ſignificatiuum, & verè terminus eſt.

CAPVT III.

De diuiſione termini in vniuocum, & æquiuocum.

DIuiditur ſecundo terminus in vniuocum, & æquiuocum. Vniuocus eſt, *qui ſua ſignificata vnico conceptu repræſentat*. Æquiuocus vero, *qui ſua ſignificata pluribus conceptibus repræſentat*. Significare autem ſignificata vnico conceptu, eſt ſignificare illa, prout omnino conueniunt in aliqua ratione illis communi: ſignificare vero ſignificata pluribus conceptibus, eſt ſignificare illa, prout ſuis proprijs particularibus rationibus differunt. Pro quo eſt aduertendum, quod au-

aliqua, quæ in ſuis proprijs rationibus particularibus, ſpecificis, vel indiuidualibus inter ſe differunt, poſſunt omnino conuenire in aliqua ratione illis communi: vt canis latrabilis, & piſcis quidam, qui dicitur canis, differunt quidem in ſuis rationibus ſpecificis, conueniunt tamen omnino in ratione animalis illis communi, & in ratione etiam corporis, alijſque rationibus communioribus. Poſſunt igitur hæc, quæ ſic differunt, & ſic conueniunt, vel ſignificari per aliquod vnum nomen, quatenus conueniunt, vt per hoc nomen animal, vel ſignificari per aliquod vnum nomen, quatenus inter ſe differunt, vt talis piſcis, & canis latrabilis ſignificantur per hoc nomen canis: & duo homines, quatenus inter ſe indiuidualiter differunt, ſignificantur per hoc nomen v.g. Petrus: Nomen igitur, ſeu terminus ſignificans ſua ſignificata, prout inter ſe omnino conueniunt, eſt terminus vniuocus; & conuenit illi prædicta termini vniuoci definitio, ſcilicet ſignificare ſua ſignificata vnicô conceptu, quia vt ſic illa ſignificat vnicus tali termino correſpondet conceptus. Terminus autem ſignificans ſua ſignificata, prout inter ſe differunt, eſt æquiuocus; & prædicta termini æquiuoci ei conuenit definitio, nempè ſignificare ſua ſignificata pluribus conceptibus, quia tali termino, prout ſua ſignificata, vt inter ſe differunt, ſignificat, non vnus tantũ, ſed plures correſpondent conceptus.

2 Hu-

1 Huiuſmodi diuiſio termini, prout eius membra prædictis definitionibus aſſignantur, non eſt diuiſio termini, in tota ſua latitudine, ſed ſolum termini vt communis eſt vocali, & ſcripto. Solum enim terminus vocalis, vel ſcriptus habent ſignificare ſua ſignificata, medio vnico, vel medijs pluribus conceptibus. Terminus autem mentalis, ſcilicet conceptus, non propriè dicitur ſignificare ſua ſignificata vnico, vel pluribus conceptibus, quia cōceptus non ſignificat medio alio cōceptu. Poteſt tamen cōceptus dici terminus vniuocus, quatenus vnicus conceptus repræſentat ſua ſignificata, prout conueniunt in aliqua ratione omnino eadem. Vnde in hoc ſenſu, terminus in tota ſua latitudine diuiditur in vniuocum, & æquiuocū. Et ſub primo membro omnis terminus mentalis, & aliqui termini vocales, & ſcripti compræhenduntur: ſub termino autē æquiuoco ſolum termini vocales, & ſcripti continentur. Illi enim rationem poſſunt habere termini æquiuoci, nullatenus tamen termini mentales: quia cum illi ſua ſignificata ratione naturalis proportionis, & ſimilitudinis cum illis repræſentent, & impoſſibile ſit, quod cum pluribus diuerſis, vt diuerſa ſunt, idem conceptus naturalem habeat ſimilitudinem & proportionem, impoſſibile eſt, quod idemmet conceptus ſignificet plura, vt ſunt diuerſa, ac perinde impoſſibile eſt, quod detur conceptus æquiuocus, iuxta commune

Dialecticorum proloquium, quod non datur æquiuocatio in mente. Quia tamen terminus vocalis, & ſcriptus, nō ex aliqua naturali proportione & ſimilitudine, ſed præciſe ex impoſitione, ſua ſignificata repræſentat; & poteſt eadem numero vox, vel ſcriptura ad ſignificandum plura, etiā vt diuerſa imponi: inde eſt, quod in voce poſſit dari æquiuocatio, & terminus vocalis, ſeu ſcriptus, poſſit eſſe æquiuocus.

3 Medius inter terminum vniuocum, & æquiuocum eſt terminus analogus: id eſt, qui ſua ſignificata, non vt omnino eadem, nec vt omnino diuerſa, ſed vt partim eadem, & partim diuerſa, ſeu (quod idem eſt) vt proportionabiliter eadem repræſentat. Vt iſte terminus Nero, ſecundū quod Principem Neronem, & homines crudeles, vt habentes ſimilitudinem cum Nerone, repræſentat; non ſignificat Neronem, & tales homines crudeles, vt omnino eadem, & ſic nō eſt terminus vniuocus; nec vt omnino diuerſa, & ſic non eſt terminus æquiuocus: ſed vt ſunt eadē proportionabiliter, & ita eſt terminus analogus, medius (vt dixi) inter terminum propriè vniuocum, & æquiuocum. Quia tamen terminus analogus ab omnimoda vnitate deficit termini vniuoci, quātum ad Dialecticos ad terminum reducitur æquiuocum.

4 Hinc eſt, quod terminus æquiuocus, vt termino propriiſſime æquiuoco, & termino analogo, qui reductiue eſt æquiuocus,

cus, eſt communis, ſubdiuiditur in æquiuocum à caſu, & æquiuocum à conſilio: Æquiuocus à caſu eſt, *qui ſua ſignificata pluribus conceptibus ex æquo, & abſque habitudine, & proportione vnius ad alterum repræſentat*: vt iſte terminus canis pluribus conceptibus repræſentat canem latrabilẽ, & marinum: & vtrumque canem ex æquo, & abſque proportione vnius ad alterum repręſentat. Terminus autem æquiuocus à conſilio eſt, *qui conſulto, & proportione quadam ſua ſignificata repræſentat*. Vt iſte terminus Nero, licet Principem Neronẽ, & alium hominem crudelem repræſentet, non vtrumque à caſu, nec ex æquo vtrumque; ſed primò impoſitus fuit ad ſignificandum Principem Neronem, poſtea verò per ſimilitudinem, quam cum tali Principe homines crudeles habent in crudelitate, ad ipſos etiam ſignificandum, ſecundariò eſt translatus.

5 Quia hic aliqualis de termino analogo facta eſt mentio, maiori analogorũ reſeruata notitia ad ante prædicamenta, duas de analogis Dialectici communiter regulas in hoc loco conſtituunt. Prima, quod *analogum per ſe ſumptum ſtat pro famoſiori ſignificato*: id eſt, quod analogum, dum non reſtringitur à membro minus principali, nec reſpectu illius ſubijcitur, ſtat pro famoſiori, & principaliori ſignificato. Vt, etiam ſi hæc vox homo analoga ſit, ad ſignificandum hominem viuum & pictum; dum tamen profero hanc vocem

Terminus autem ſyncategorematicus eſt, *qui ſignificat aliqualiter*: id eſt, ſignificat aliquid non per modum rei, ſed per modum modi. Vt iſte terminus omnis, nullus, velociter, qui non ſignificant aliquam rem per modum rei, ſed aliquem modum per modum modi; & ſecundum quod rebus aliquibus poteſt competere. Hinc eſt quod cum terminus ſyncategorematicus ſolum ſignificet aliquid per modum modi afficientis aliquam rem, non poteſt ſolus ille eſſe extremum, ſubiectum ſcilicet, vel prædicatum propoſitionis, ſed cum termino, cui adiungitur, ſignificante rem aliquam, cui talis cōpetat modus: & ideo ſyncategorematicus, id eſt conſignificatiuus, & comprædicatiuus vocatur. Vt ſi dicas omnis homo currit, ly *omnis*, non eſt per ſe ſubiectum, ſed ſimul cum illo termino categorematico *homo*: & ſimiliter ſi dicas homo velociter currit, illud ſyncategorema *velociter* non eſt per ſe prædicatum, ſed ſimul cum illo termino currit, qui ſimul habet rationem copulæ & prædicati.

2 Obijcies primò, quod iſti termini velociter, & velocitas, idem ſignificant. Sed velocitas eſt terminus categorematicus. Ergo & ly velociter. Reſpondetur, quod licet idem ſignificet vterque prædictus terminus, ſcilicet velocitatem, diuerſo tamen modo illam ſignificāt: hic enim terminus *velocitas*, ſignificat illam per modum rei; ac perinde eſt terminus cate-

gorematicus. Ly autem *velociter* ſignificat velocitatem, non per modum rei, ſed ſed per modum modi potentis alicui cōpetere rei; ac perinde talis terminus, vt ſignificans velocitatem, non ſignificat aliquid per ſe, nec poteſt eſſe ſolus ille extremum propoſitionis, & ita eſt terminus ſyncategorematicus.

3 Obijcies ſecundo, quod terminus ſyncategorematicus ſolus, & abſque eo quod adiungatur alij termino categorematico, poteſt eſſe extremum propoſitionis. Male ergo à termino condiſtinguitur categorematico per id, quod abſque coniunctione ad illum, non poſſit eſſe extremum propoſitionis. Antecedens prob. Nam in hac propoſitione, *velociter eſt terminus ſyncategorematicus*, hic terminus *velociter*, ſolus & abſque coniunctione ad aliquem terminum categorematicum eſt ſubiectum propoſitionis. Reſp. quod in prædictis propoſitionibus ly *velociter* materialiter pro ſeipſo, id eſt, pro ipſa voce accipitur, & ac prædictas propoſitiones cōponit: non autē accipitur formaliter, & ſignificatiue, & vt ſubſtitutum alterius, nec vt ſic prædictas componit propoſitiones. Vnde non componit illas vt terminus categorematicus, nec vt ſyncategorematicus: quia (vt diximus explicantes definitionem termini) componere propoſitionem, vt conſtitutiuum eſt termini, debet intelligi de compoſitione formaliter, & ſignificatiue, ac per modum ſubſtituti

alterius. Cum igitur terminus ſyncategorematicus per modum termini propoſitionem componit, debet componere illã, acceptus non pro ſe ipſo materialiter, ſed acceptus formaliter, & ſignificatiuè pro ſuo ſignificato. Et ſic numquam inuenitur, quod per ſeipſum ſolus, & abſque cõiunctione ad terminum categorematicum propoſitionem componat. Hæc enim propoſitio velociter eſt modus rei, ſi in illa ly velociter ſumatur, vt ſubſtitutum ſui ſignificati, eſt incongrua; & ſolum eſt congrua, ſi accipiatur pro ipſa voce ſignificante, vt ſit idem, ac dicere hæc vox velociter ſignificat modum rei.

4 Quamuis à principio huius capituli dixerim, ſolum terminum vniuocum diuidi hac, & ſequentibus diuiſionibus; hæc tamen, & illæ poſſunt etiam adaptari ad terminum æquiuocum. Non enim eſt inconueniens quod ſicut eadem vox v. g. canis imponitur ad ſignificandum duas res vt diuerſas, & quia illas ſignificat per modum rerum, quodammodo ſe habeat vt terminus catehorematicus, ac perinde poteſt abſque coniunctione ad aliquem terminum categorematicum eſſe extremum propoſitionis: ſic ſimiliter eadẽ vox poteſt imponi ad ſignificandum duos modos per modũ modi diuerſi, & vt diuerſi ſunt: vt ſi ly velociter imponeretur ad ſignificandum, non ſolum modum velocitatis, ſicut ad id eſt impoſitum, ſed ſimul ad ſignificandum alium modum diuerſum vt

diuerſum, etiam per modum modi: tunc talis terminus erit æquiuocus, & quodãmodo ſyncategorematicus, nec poſſet ſeipſo ſolus, & abſque adiunctione ad alterum terminũ cathegorematicum, eſſe extremũ alicuius propoſitionis. Eodem etiam modò aliæ ſequentes diuiſiones termini poſſent facile quodammodo adaptari termino æquiuoco. Sed quia ille (vt diximus) vtpote ad artem ſyllogiſticam inutilis, à Dialecticis relinquitur, hanc, & ſequentes diuiſiones termini ſolũ vniuoci iuxta conſuetum Dialecticorum morem ſtatuimus.

CAPVT V.

De diuiſionibus termini in communem, & ſingularem; & indiuiſiuum, & collectiuum.

Diuiditur itidem terminus vniuocus in communem, & ſingularẽ. Terminus cõmunis eſt, *qui ſignificat plura diuiſim*: Terminus vero ſingularis, *qui vnum tantum ſignificat*. Et hæc definitio oppoſito modo ad definitionem termini communis eſt intelligenda, id eſt, quod non ſignificet plura diuiſim: ſiue enim ſignificet vnum tãtum quod ſit omnino vnum, vt hic terminus Petrus, ſiue vnum tantum, quod fit collectione vnũ,

vt

vt hic terminus Salmantica, quatenus, licet plures ſignificet ciues, ſignificat illos, vt collectione ſunt vnum, vterque terminus eſt ſingularis, quia neuter ſignificat plura diuiſim. Vnde vtraque prędicta definitio intelligetur, ſi explicemus, quid ſit ſignificare plura diuiſim. Id igitur eſt, quod taliter terminus ſignificet plura, quod ex modo ſuæ ſignificationis non repugnet ei ſeorſum, & diuiſim pro pluribus ſupponere, ſeorſumque, & diuiſim de ſingulis eorum affirmari, & verificari. Sicut hic terminus homo, qui quamuis primario vnam naturam humanam ſignificet, quia illa eſt partibilis, & diuiſibilis in plures homines, ipſoſmet homines ſingulares, & indiuiduos, vt mediata ſui ſignificata diuiſim, & ſeorſum ſignificat, ita vt poſſit diuiſim, & ſeorſum pro ſingulis eorum ſupponere, ac de ſingulis eorum affirmari, & verificari: vt poſſit dici Petrus eſt homo, Paulus eſt homo. Quod vtique termino non competit ſingulari, ſic enim ille vnum omnino tantum ſignificat, vt hic terminus Petrus, vt nec diuiſim, nec collectiuè poſſit ſupponere pro pluribus. Et similiter terminus singularis, qui plura copulatim significat, vt hic terminus Salmantica, omnes illius ciues ſignificat, non tamen talia plura ſignificat diuiſim, nec poteſt pro illis ſeorſum, & diuiſim ſupponere, nec erit verum dicere, Petrus eſt Salmantica, Franciſcus eſt Salmantica: ſed Pe-

trus, Paulus, & Franciſcus collectiuè ſimul ſumpti ſunt Salmantica.

2 Diuiditur terminus vniuocus in tota ſua latitudine acceptus, in terminum diuiſiuum, & collectiuum: terminus collectius eſt, *qui in ſingulari numero ſignificat plura copulatim*, vt hic terminus Salmantica, qui (vt diximus) ſignificat copulatim omnes ciues, eam ciuitatem componentes. Terminus diuiſus eſt, *qui in ſingulari numero ſignificat vnum tantum, vel plura diuiſim*: quæ definitio intelligenda eſt oppoſito modo ad definitionem termini collectiui, id eſt, quod non ſignificet plura compulatim, ſiue nullatenus ſignificet plura, ſed vnum tantum, vt hic terminus Petrus; ſiue ſignificet plura, vt hic terminus homo: dummodo non ſignificet illa copulatim, eſt diuiſiuus. Hinc eſt quod non eſt idem eſſe terminum diuiſiuum, ac eſſe terminum communem. Licet enim omnis terminus communis ſit diuiſiuus, non omnis terminus diuiſiuus eſt communis; hic enim terminus Petrus, eſt terminus diuiſiuus, & non eſt terminus communis, ſed ſingularis. Similiter non eſt idē eſſe terminū ſingularē ac eſſe collectiuum: licet enim omnis terminus collectiuus ſit ſingularis, non omnis terminus ſingularis eſt collectiuus, vt conſtat in hoc termino Petrus, qui eſt ſingularis, & non eſt collectiuus. Vnde hęc non eſt ſubdiuiſio termini communis, vel, ſingularis, ſed diuiſio (vt diximus) termini

ni

ni vniuoci vt abſtrahit à communi, & ſingulari.

3 Subdiuiditur autem terminus ſingularis in ſingularem determinatum, ſingularem demonſtratiuum, & ſingularem ex ſuppoſitione. Terminus ſingularis determinatus, vt hic terminus Petrus: ſingularis demonſtratiuus vt hic homo, quia per pronomen demõſtratiuum ſemper demonſtratur ad ſenſum, vel ad intellectum aliquod indiuiduum ſingulare. Terminus autem ſingularis ex ſuppoſitione eſt ille, qui quamuis ex modo ſignificationis poſſit diuiſim ſupponere pro pluribus, ex ſuppoſitione tamen aliqua pro vno tantum ſupponit: vt ex ſuppoſitione quod ſciamus Sophronicum vnicum tantum habere filium, hic terminus Sophronici filius, eſt terminus ſingularis ex ſuppoſitione, quia ex tali ſuppoſitione pro vno tantum ſupponit. Quamuis hoc ſit ex parte rei ſignificatæ, quia tamen ratio termini non tam ex illa, quam ex modo deſumitur ſignificandi; & ex modo ſignificandi prædictus terminus plures Sophronici filios ſi illos haberet, diuiſim ſignificaret, ac pro illis poſſet diuiſim ſupponere. Ideo talis terminus multum impropriè, & ſolũ ex parte rei ſignificatæ, dicitur terminus ſingularis, & abſolute attento eius modo ſignificandi, potius dicendus eſt terminus communis.

4 Huic etiam ſubdiuiſioni aliqui quartũ adiungunt membrũ, nempè termi-

num ſingularem vagũ, vt hunc terminum *quidam homo*. Sed certe ille terminus eſt communis, & non ſingularis. Licet enim ſignificet naturã humanã cũ aliquo particulari modo exiſtendi (vt circa ſecundum prædicabile communiter explicatur in Logica) quia tamen talis modus exiſtendi non eſt minus communis pluribus hominibus, quam ipſa natura humana, eoſdem plures homines ita diuiſim ſignificat, ſicut hic terminus *homo*, & ita pro illis poteſt diuiſim ſupponere: verumque eſt dicere, Petrus eſt quidam homo, Paulus eſt quidam homo: ac perinde non minus talis terminus eſt terminus communis, quam hic terminus homo.

5 Aduerſus definitionem termini cõmunis obiicies: quod iſti termini Deus, Sol, & Luna ſunt termini cõmunes, quia ſignificant naturas quaſi ſpecificas, & non vt indiuiduales Dei, Lunæ, & Solis. Et tamen tales termini non ſignificant plura, ſed vnum tantum: nec enim de facto ſunt plures Soles, vel plures Lunæ, vel plures Dij, qui per tales terminos ſignificentur. Ergo definitio termini communis non eſt bona. Reſpondetur, quod prædicti termini, licet non ſignificent plura ex parte rei ſignificatæ, ſignificant tamen plura diuiſim ex modo ſignificandi. Quia ex modo ſignificandi quem habent, non repugnat eis ſupponere ſeorſum, & diuiſim pro pluribus Dijs, pluribus Solibus, & pluribus Lunis,

ſi eſſent poſſibiles, vel de facto darentur. Vnde talibus terminis definitio competit termini communis, quæ intelligitur, quod ex modo ſignificandi terminus plura diuiſim ſignificet.

6 Aduerſus definitionem termini ſingularis obijcies: quod hic terminus *populus* eſt terminus ſingularis, & collectiuus, quia per modum vnius collectionis ſignificat omnes homines populum componentes, ſicut & hic terminus, Salmantica. Et tamen ſignificat plura diuiſim. Ergo definitio termini communis termino competit ſingulari, ac perinde illa non eſt bona. Minor probatur. Poteſt ſupponere diuiſim pro pluribus populis, de ſingulisque eorum ſeorſum, & diuiſim affirmari, vel verificari: verumque eſt dicere Salmantica eſt populus, Toletum eſt populus, Matritum eſt populus, &c. Ergo talis terminus ſignificat plura diuiſim. Reſpondetur: quod prædictus terminus reſpectu diuerſorum ſignificatorum poteſt comparari, reſpectuque illorum diuerſam termini induere rationem: ſi enim comparetur ad homines componentes populum, quos re vera hic terminus populus collectiue ſignificat, eſt terminus ſingularis, & collectiuus, & vt ſic nullatenus ei competit definitio termini communis, aut diuiſiui: ſi autem comparetur ad hunc vel illum populum, quos etiam re vera diuiſim ſignificat, eſt terminus communis, & diuiſiuus, & vt ſic nullatenus ei com-

pe-

petit definitio termini ſingularis, aut collectiui. Et ita argumentum ſolum concludit, quod in eadem materialiter voce duplex reſpectu diuerſi ſignificati ratio coincidat termini communis, & ſingularis, formaliter diſtincta, non tamen, quod reſpectu eiuſdem ſignificati duplex illi eadem ratio conueniat: quod requireretur, vt termini iſti formaliter confunderētur, & definitio vnius competeret alteri.

CAPVT VI.

De diuiſione termini in abſolutum, & connotatiuum.

Diuiditur etiam terminus vniuocus categorematicus in terminum abſolutum, & connotatiuum. Terminus abſolutus eſt, *qui ſignificat aliquid per modum per ſe ſtantis*: Terminus vero connotatiuus, *qui ſignificat aliquid per modum alteri ad inhærentis*. Pro quarum definitionum intelligentia eſt aduertendum, quod licet terminus ſignificet ſubſtantiam, ſiue accidens, poteſt ſignificare ſuum ſignificatum per modum ſubſtantiæ, hoc eſt, per modum per ſe ſtantis, & non per modum inhærentis alicui: & tunc eſt terminus abſolutus, vt ij termini homo, humanitas, & albedo. Quamuis enim iſte vltimus ſignificet accidens ex parte rei ſignificatæ, tamen ſigni-

gnificat illud per modum per ſe ſtantis, & quantum eſt ex modo ſignificandi: per modum ſubſtantiæ, & non per modum inhærentis, vel ad iacentis alicui. Vel poteſt terminus ſignificare ſuum ſignificatum ex modo ſignificandi, ſiue illud ſit accidens, ſiue ſubſtantia, per modum accidentis, & adiacentis, & inhærentis alicui: & tunc eſt terminus connotatiuus, vt iſte terminus album, & hic terminus humanum. Dicitur terminus connotatiuus, quia ſignificat formam connotando aliquid cui adiacet, vel inhæret. Vnde terminus connotatiuus duplex habet ſignificatum, formale ſcilicet, & materiale: formale quidem eſt ipſa forma, ſeu natura, quam per modum adiacentis, vel inhærentis alicui ſignificat: materiale vero eſt ſuppoſitum, vel ſubiectum, quod connotat, & cui talis forma denotatur adiacere, vel inhærere. Formaleque ſuum ſignificatum ſignificat terminus connotatiuus in recto, materiale vero in obliquo.

2. Altera præcedenti diuiſioni affinis, licet re vera diuerſa, datur termini vniuoci categorematici diuiſio, ſcilicet in terminum concretum & abſtractum. Terminus concretus eſt, *qui ſignificat formam vt in ſuppoſito*: Terminus vero abſtractus, *qui ſignificat formam per modum per ſe ſubſiſtentis*: nec eſt idem terminus concretus, & connotatiuus; quia licet omnis terminus connotatiuus ſit concretus, non tamen

è con-

è contra; hic enim terminus *homo*, non eſt connotatiuus, quia non ſignificat humanitatem per modum adiacentis, & inhærentis alicui, eſt tamen terminus concretus, quia ſignificat humanitatem, non vt per ſe, & independenter à ſuppoſito ſubſiſtentem, ſed ſignificat illam vt ſubſiſtentem in ſuppoſito, ſeu ipſum ſuppoſitum, vt habens humanitatem. Nec eſt idem, terminus abſolutus, & abſtractus, licet enim omnis terminus abſtractus ſit abſolutus, non tamen è contra; vt patet in hoc termino homo, qui eſt abſolutus, & non abſtractus. Sed terminus abſtractus eſt, qui licet ſignificet formā ſubſiſtentem in ſuppoſito, ex modo tamen ſignificandi ſignificat illā, ac per ſe & independenter à ſuppoſito ſubſiſtentem, vt iſte terminus humanitas, & albedo.

3 Hinc oritur differentia inter terminum concretum, & abſtractum, quod terminus concretus, niſi ratione alicuius appellationis accipiatur pro ſuo ſignificato formali, ſemper accipitur materialiter pro ſuppoſito: terminus vero abſtractus ſemper accipitur pro ſuo ſignificato formali; quia ex modo ſignificandi non habet ſignificatum materiale. Et licet forma, quā ſignificat in re non poſſit eſſe niſi in ſubiecto, vel ſuppoſito; quia tamen ex modo abſtracte illam ſignificandi, ſignificat illā, ac ſi independenter à ſubiecto, & ſuppoſito per ſe ſubſiſteret, non connotat nec ſignificat aliquod materiale, pro quo ſupponat:

ponat : & ſic (vt dixi) ſemper accipitur pro ipſa forma , quam ſignificat .

CAPVT VII.

De diuiſione termini in terminum primæ & ſecundæ intentionis.

Diuiditur etiam terminus vniuocus cathegorematicus in terminũ primæ & ſecundæ intẽtionis. Terminus primæ intentionis eſt , *qui ſignificat aliquid ſecundum illud, quod habet in re:* terminus vero ſecundæ intentionis eſt, *qui ſignificat aliquid per ordinem , quem habet ad conceptum mentis*. Pro quarum definitionũ ſufficienti (quoad Dialecticum) intelligentia, eſt aduertendum , quod rebus aliquid conuenit à parte rei , & independenter à conſideratione intellectus, vt eſſe hominẽ, eſſe album,& ſimilia: aliud autem competere poteſt rebus non à parte rei , ſed per operationem intellectus, vt homini conuenit,eſſe ſpeciem,& animali eſſe genus,non quidem à parte rei , ſed per operationem intellectus,abſtrahentis tales naturas à ſuis indiuiduis , vel inferioribus , & in ordine ad eadem inferiora tribuentis illis intentionem generis, & ſpeciei . Terminus igitur, qui ſignificat aliquid ſecundum illud , quod tale ſignificatum habet in re,

& independenter à conſideratione intellectus, eſt terminus primæ intentionis: vt iſti termini homo, vel album, quia ſignificant humanitatem, & albedinem, quam homo, & album a parte rei & independenter habent ab aliqua conſideratione intellectus. Terminus autem, qui ſignificat aliquid, quod rebus competit, non à parte rei, ſed præciſſe ex conſideratione intellectus, eſt terminus ſecundæ intentionis: vt hic terminus genus, vel ſpecies.

2. Hæc autem nomina primæ & ſecundæ intentionis, id eſt, primi, & ſecundi conceptus, eò deſumuntur, quia quod primò concipimus de aliqua re, eſt quod illi ſecundum eſſe, quod à parte rei habet, & independenter à conſideratione competit intellectus: vnde terminus qui ſecundum id rem ad aliquam ſignificat, dicitur terminus primæ intentionis, ſeu primi conceptus: quod autem ſecundò concipimus de aliqua re, eſt quod non ei ſecundum ſe, & à parte rei competit, ſed ex conſideratione illi conuenit intellectus. Vnde terminus qui rem ſecundum id ſignificat, dicitur terminus ſecundæ intentionis, ſeu ſecundi conceptus.

CA-

CAPVT VIII.

De diuiſione termini in terminum complexum, & incomplexum.

DIuiditur denique terminus in terminum complexum, & incomplexum. Terminus complexus eſt, *cuius partes per ſe ſunt ſignificatiuæ*: vt hic terminus, homo albus: Incomplexus verò, *cuius partes non ſunt per ſe ſignificatiuæ*: vt hic terminus homo. Intelligitur autem in definitione termini complexi, quod habeat partes per ſe ſignificatiuas, vt partes ſunt ipſius termini; & quod intrà ipſum terminum ſignificationem ſuam exerceat. Vnde vt terminus ſit complexus; debet ſignificatio totius termini reſultare ex ſignificatione partium; & totus terminus iuxta ſignificationem partium ſignificare. Indeque deducitur, quod ſi aliqua pars termini complexi à ſua deponatur ſignificatione; totus terminus complexus non ſignificabit idem, quod antea. Vt totum hoc patet in hoc termino *homo albus*, cuius totalis ſignificatio ex ſignificatione reſultat partium; & ſi aliqua illius pars à ſua deponatur ſignificatione, vt ſi illa pars *homo* deponatur à ſignificatione hominis, & im-

imponatur v.g. ad ſignificandum equum; talis terminus complexus non ſignificabit ſicut anteà hominem album, ſed equum album. Nec ſi aliquid ex his deficiat, ſaluabitur ratio termini complexi, etiam ſi aliquis terminus partes habeat aliàs ſignificatiuas, vt iſte terminus *Dominus*, non eſt complexus, quia licet habeat partes alias (id eſt extra ipſum terminum) ſignificatiuas: ſignificationem tamen ſuam, vt ſunt intra ipſum terminum, non exercent, nec ſignificatio totius termini ex ſignificatione reſultat partium: partes enim ſignificant, dare minus, ex quarum ſignificatione nullatenus reſultat ſignificatio huius termini *Dominus*, qui ſignificat habentem dominium: nec ſi aliqua pars talis termini à ſignificatione, quam aliàs habet, deponatur; vt ſi illa pars *do*, deponatur à ſignificatione dandi; ille terminus, *Dominus*, non perinde deſinet ſignificare idem, quod antea.

2 Sufficit autem ad rationem termini complexi, quod habeat partes per ſe ſignificatiuas formaliter, vel virtualiter. Vt ſi imponeretur hæc littera, *A*, ad ſignificandum idem quod homo albus, re vera eſſet terminus complexus: quia virtualiter haberet partes per ſe ſignificatiuas; & correſponderet illi non vnus ſimplex, ſed duplex conceptus. Ex multiplicitate enim conceptuum termino correſpondentium, propriè deſumitur ratio termini cõplexi. Pro quo aduerte, quod multum diuerſi-

mo-

modo correſpendent plures conceptus termino complexo, ac termino æquiuoco. Huic enim; quia ſignificat plura, vt diuerſa ſunt correſpondent plures conceptus, nullam inter ſe habitudinem habentes: terminus autem complexus licet ſignificet plura; ſignificat tamen vnum, vt determinans, & aliud vt determinabile: vt patet in hoc termino homo albus, qui ſignificat hominem vt determinabilem per albedinem, & albedinem vt afficientem hominem. Nec abſq; hac habitudine poteſt dari terminus complexus: vt ſi dicas, homo equus, re vera, quia inter ſignificata harum vocum, inter hominem, ſcilicet & equum, nulla eſt habitudo determinabilis & determinantis; tales voces non componunt vnum terminum complexum, ſed manent in ratione duplicis termini in complexi. Vnde cum dicimus termino complexo plures correſpondere conceptus; intelligendum eſt de pluribus conceptibus, non quidem abſque ordine & habitudine, sicut illi qui correſpondent termino æquiuoco, ſed de pluribus conceptibus inter ſe ordinem & habitudinem habentibus.

3 Aduerſus definitionem termini complexi obijcies: illam competere nominibus compoſitæ figuræ, vt his vocibus, Reſpublica, Armiger. Et tamen iſta nomina ſunt termini incomplexi; ſiquidem illis vnus ſimplex correſpondet conceptus. Ergo definitio termini complexi non

eſt

eſt bona. Maior probatur: quia prædicti termini, & præcipuè hic terminus Reſpublica, videntur habere partes ſignificatiuas, & ſignificationem totius termini reſultare ex ſignificatione partium: quia ſi aliqua illarum deponatur à ſua ſignificatione, vt ſi illa pars publica, deponatur à ſignificatione publici, & imponatur v.g. ad ſignificandum priuatum, totus ille terminus Reſpublica, non ſignificaret idem quod antea. Et idem poteſt fieri argumentum de illo termino Armiger. Quia ſi hoc nomen arma, ex quo deriuatur prima dictio talis termini, deponatur à ſua ſignificatione; non videtur quod terminus armiger ſignificabit idem quod antea. Ergo prædictis terminis definitio termini complexi, vt à nobis explicata, competit.
§. Reſpondetur negando maiorem. Ad probationem dicitur, quod licet iſti termini & ſimiles deriuationem acceperint à ſignificatione aliquorum terminorum; tamen re vera diuerſam habent ſignificationem à ſignificatione illorum, vt patet in hoc termino Reſpublica; licet enim eius ſignificatio deriuetur à ſignificatione rei quæ publica eſt, tamen talis terminus non rem quæ publica eſt, ſed congregationem ciuium ſignificat. Vnde etiam ſi quælibet pars talis termini à ſignificatione quã extra ipſum terminum habet, deponatur, adhuc hoc nomen compoſitæ figuræ Reſpublica; ſignificabit idem quod antea. Et idem dico de hoc termino Armiger.
Mul-

Multoties enim quia ad exprimendum aliquem ſimplicem conceptum vocibus caremus omnino ſimplicibus, vtimur his nominibus compoſitæ figuræ quoad apparentiam complexis, in re autem non ſunt termini complexi, nec per ſe habent intra ipſum terminum partes ſignificatiuas.

CAPVT IX.

De nomine.

Licet nomen & verbum communem termini rationem participent: quia ſpecialem circa propoſitionem ſortiuntur rationem, quatenus ſunt præcipuæ eius partes ſpecialius de illis eſt agendum. Et quia ad primam pertinent operationem intellectus, eorum tractatus ad hunc librum ſpectat, in quo de his quæ circa primam operationem intellectus verſantur, agendum ſuſcepimus. Nomen igitur eſt, *vox ſignificatiua ad placitum ſine tempore, cuius nulla pars per ſe ſignificatiua ſeparata, finita, & recta.* Hanc nominis definitionem tradit Ariſtoteles 1. Perhyermenias, per illamque ſolum nomen vocale: vtpote nobis magis notum intendit definire: explicata tamen hac definitione facile (vt videbimus) nominis in communi, & nominis mentalis, & ſcripti, particularis definitio poterit aſſignari.

ri. Prædicta ergo tradita ab Ariſtotele definitio ſeptem continet particulas, quarum tres priores, ſcilicet, *vox ſignificatiua ad placitum*, vt in definitione termini ſunt explicandæ, vt *vox* ponatur loco generis: *ſignificatiua* ad differentiam vocum non ſignificantium: & *ad placitum* ad differentiam vocum ſignificantium naturaliter. Per particulam autem *ſine tempore* differt à verbo, quod ſignificat cum tempore (vt ſequenti capite videbimus, & explicabimus quid ſit ſignificare cũ tempore) *cuius nulla pars per ſe ſignificatiua ſeparata* ponitur ad differentiam orationis; & termini complexi orationis: quia vt libro ſequenti videbimus, eſt quoddam totum. Nomen autem debet eſſe pars, & potius eſt compoſitiuum orationis, quam ſit oratio. Ad differentiam etiam termini complexi, quia ille non eſt vnus ſimpliciſſimus terminus, ſed licet ordinatis, pluribus ſubordinatur conceptibus: nomen autem debet eſſe quid ſimplex, & vni conceptui ſubordinatum. Vnde iſte terminus v g. equus ferus, non eſt nomen, ſed conſtans ex duobus nominibus, vt expreſsè ſentit Ariſtoteles dicens: *Ly equiferus nomen quidem eſt, ſed ly equus ferus non eſt nomen. Finita* ponitur ad differentiam nominis infiniti, vt non homo: quod non eſt nomen, quia illud (vt ipſius nominis æthymologia præſefert) debet eſſe notamen; nomen autem infinitum, quia non ſignificat de aliquo quid ſit, ſed potius

quid

quid non ſit, & ita poteſt dici tam de eo quod eſt, quam de eo quod non eſt, vere non eſt notamen alicuius, ac perinde, nec propriè rationem ſortitur nominis. *Recta* denique ponitur ad differẽtiam caſus obliqui vt hominis: qui id eo caſus vocatur, quia à propria cadit ratione nominis. Solus ergo rectus, quia ſolus ille propriè ſuppoſitum poteſt reddere verbo, rationem propriè obtinet nominis: quia nomen eſt quaſi correlatiuum ad verbum, & ſimul cum illo compoſitiuum propoſitionis. Et ſi aliquando caſus obliquus ſuppoſitum reddat verbo: vt in hac propoſitione, pœnitet me peccaſſe; Præterquam quod non reddit ſuppoſitum verbo ſubſtantiuo, (reſpectu cuius principaliter nomen ſuum exercet officium) in ea propoſitione non ratione ſui, ſed ratione recti virtualiter ſubintellecti, ſuppoſitum reddit verbo; quia æquiualet hæc propoſitio huic: pœnitentia me tenet peccati.

2 Explicata prædicta definitio facilè (vt dixi) poteſt adaptari nomini, vt abſtrahit à mentali, vocali, & ſcripto: illudque poteſt definiri, quod ſit ſignum ſine tempore non habens partes per ſe ſignificatiuas ſeparatas finitum, & rectum. Poteſtque adaptari nomini ſcripto, illudque definiri quod ſit, ſcriptura ſignificatiua ad placitum ſine tempore &c ac denique poteſt adaptari nomini mentali, & illud definiri quod ſit notitia formaliter ſigni-

ſicatiua ſine tempore, cuius nulla pars, &c.

3 Obijcies, 1. quod illa particula *finita* non ſit neceſſaria ad excludendum nomen infinitum à ratione nominis: quia eſto nomen infinitum non ſit nomen, ſufficienter manet excluſum per illam particulam *cuius nulla pars per ſe ſignificatiua ſeparata*; Ergo illa particula *finita* ad id non eſt neceſſaria. Antecedens probatur nam nomen infinitum, vt non homo, re vera habet partes per ſe ſignificatiuas ſeparatas, ſcilicet ly non, & ly homo, & exercentes ſuam ſignificationem intra ipſum totalem terminum non homo, ita vt ſi aliqua pars deponatur à ſua ſignificatione, totus talis terminus non ſignificabit idem quod antea: ac perinde iuxta ea quæ capite præcedenti diximus, verè eſt terminus complexus. Ergo nomen infinitum ſufficienter per prædictam particulam excluditur à ratione nominis. §. Reſpondetur negando antecedens: ad probationem etiam negatur antecedens: quia licet nomen infinitum videatur complexum; tamen in ſignificatione re ipſa eſt incomplexum: quia re vera vnico ſimplici ſubordinatur conceptui repræſentāti v.g. negationem hominis, vt eſt in aliquo: ſicut huic nomini album vnicus ſimplex correſpondet conceptus repræſentans albedinem in ſubiecto: licet ob pœnuriam vocum non habeamus aliquam vocem omnino ſimplicem ad ſignificandam negatio-

nem

nem hominis in concreto, ſicut habemus ſimplices voces ad ſignificandum albedinem & alias formas in concreto.

4 Obijcies 2. quod caſus nominis verè eſt nomen. Male ergo ad excludendum illum à ratione nominis ponitur illa particula *recta*. Antecedens probatur nam rectus & eius caſus obliquus, v.g. ly Cato, & ly Catonis idem ſignificant. Ergo ſicut rectus eſt nomen ita & obliquus.

§. Reſpondetur diſtinguendo antecedens: rectus & obliquus ſignificant idem eodem modo, nego antecedens: idem diuerſimode tamen, concedo antecedens, & neganda eſt conſequentia, quia diuerſus modus ſignificandi recti & obliqui ſufficit vt rectus ſit nomen; quia ſignificat per modum quid: ac perinde per ſe ipſum poteſt reddere ſuppoſitum verbo: & vt obliquus non ſit nomen, quia ſignificat per modum cuius, ac perinde non poteſt ratione ſui, ſed ſolum ratione ſui recti reddere ſuppoſitum verbo.

CAPVT X.

De Verbo.

VErbum eſt *vox ſignificatiua ad placitum cum tempore, cuius nulla pars per ſe ſignificatiua ſeparata, finita, & recta, eſt nota eorum quæ prædicatur.* Hanc verbi definitionem tradit Ari-

ſtoteles 1.Perhyermenias, per illamque (vt de nomine diximus) ſolum verbum vocale definit: illa tamen ſicut & definitio nominis, verbo in communi, & verbo poteſt adaptari mentali, & ſcripto. Octo autē continet prædicta definitio particulas: tres priores vt in definitione nominis explicantur. Per quartam *ſignificare* videlicet *cum tempore* verbum à nomine differt: ſignificare enim cum tempore eſt ſignificare actionem, vel paſſionem prout in fieri: cum enim motus & actio tempore regulētur, ſignificans motū & actionem prout in fieri, ſignificat cum tempore. Quod vtique nomini cōpetere nequit, licet enim aliqua nomina, vt tempus, menſis, ſignificent tempus, ſicut per nomen ſignificatur quælibet alia res: & licet alia nomina connotent tempus, vt hoc nomen prandium ſignificat comeſtionem meridianam connotando tēpus ipſum meridianum, & hoc nomen cœna ſignificat comeſtionem ſerotinam connotans proprium veſpertinum tempus talis comeſtionis: nullum tamen eſt nomen quod ſignificet motum, actionem vel paſſionem prout in fieri, & ita nullum ſignificat cum tempore, ſed id competit verbo: vt patet in hoc verbo curro, quod ſignificat curſum, prout in tempore exercetur præſenti. *Cuius nulla pars per ſe ſignificatiua ſeparata*, ponitur ad differentiam verbi complexi, vt hoc complexum, currit vel diſputat, quod vtiq; non eſt verbum, ſed compoſitum ex pluribus verbis: quia

quia non vni ſimplici, ſed pluribus ſubordinatur conceptibus. *Finita* ad excludendum ponitur verbum infinitum, quod rationem non obtinet verbi, quia non tam actionem aliquam, quam quid non fiat, ſignificat: vt hoc verbum non diſputo, ly non infinitanter & per modũ vnius dictionis cum ly diſputo ſumpto; non ſignificat aliquam actionem determinatam; ſed ſolum fieri aliquid quod non ſit diſputare: & ſicut de ratione nominis eſſe diximus, quod ſit notamen alicuius rei certæ & determinatæ; ita eſt de ratione verbi ſignificare aliquam determinatam actionem vel paſſionem, prout in fieri. Vnde cum hoc non habeat verbum infinitum, nec rationem obtinet verbi. *Recta* ponitur ad differentiam verbi obliqui: verbi videlicet quod non eſt præſentis indicatiui modi: & caſus dicitur verbi, quia à propria verbi ratione cadit: nullius enim temporis verbum præter verbum prçſentis temporis indicatiui, ſignificat actionẽ prout in fieri, ſed vel prout faciendam, vt verbum futuri temporis: vel prout iam factam, vt verbum præteriti: ac perinde nullum præter verbum præſentis temporis indicatiui, rationem propriam obtinet verbi. Quia tamen differentia primæ, ſecundæ, vel tertiæ perſonæ pluralis, vel ſingularis verbi præſentis indicatiui non tollit quod per omnes illas ſignificetur actio vt in fieri; verbum præſentis indicatiui ſecundum omnes tales differentias rationem pro-

priam ſortitur verbi. Vltima tandem particula, ſcilicet *& eſt nota eorum, quæ prædicantur*, ponitur expreſſe ab Ariſtotele, licet ab aliquibus in definitione verbi omittatur. Et re vera eſt neceſſaria ad excludendum participium ſaltem præſentis temporis, vt amans, à ratione verbi; vtpote quod per nullam aliam prædictæ definitionis particulam excluditur. Nec enim per ſignificare cum tempore (de quo ſolum poterat eſſe dubitatio) participium enim ſignificat cum tempore, & cum tempore determinato: ſignificat enim actionem prout fit in tempore præſenti. Per ſolam igitur vltimam prædictam particulam participium à ratione excluditur verbi. Non enim eſt nota, id eſt, vnio & copula eorum quæ pædicantur: ſed ſi ingreditur propoſitionem, ſolum in illa rationem habet extremi, ſubiecti ſcilicet, vel prædicati: vt in hac, amans currit, habet rationem ſubiecti, & in hac propoſitione, homo eſt amans, habet rationem ſolius prædicati: nunquam autem eſt nota, copula, aut vnio eorum quæ prædicantur, ſicut re vera eſt verbum, ſiue de ſecundo, ſiue de tertio ſit adiacente. Cum enim eſt tertium adiacens, quod contingit quando prædicatum eſt formaliter diſtinctum a verbo, vt in hac propoſitione, Petrus eſt albus, ipſum verbum eſt nota, copula, & vnio prædicati cum ſubiecto. Cum autem eſt ſecundum adiacens, quod contigit quoties prædicatum non eſt formaliter

ter

ter diſtinctum à verbo, ſed ipſummet verbum rationem habet prædicati, vt omne verbum adiectiuum, & etiam verbum ſubſtantiuum cui non adiungitur expreſſum diſtinctum prædicatum, etiam verbum vnit ſeipſum ſubiecto: vnde cum ipſummet habeat rationem prædicati, eſt nota, copula, & vnio eorum, quæ prædicantur.

LIBER SECVNDVS DE PROPOSITIONE.

CAPVT I.

De Oratione.

IN hoc ſecundo libro, iuxta diuiſionem ſuperius factam, de ijs eſt agendum, quæ circa ſecundam verſantur intellectus operationem; ad quam cum compoſitio ſit, & diuiſio, pertinet propoſitio, de illaque, illiuſque proprietatibus in hoc libro eſt agendum. Quia tamen ad propoſitionem vel vt materiale præſupponitur oratio, prius eſt de oratione diſſerendum. Eſt igitur oratio *vox ſignificatiua ad placitum, cuius partes ſeparata aliquid ſignificant*. In hac orationis definitione (qua oratio ſolum definitur vocalis, & quæ facile poteſt orationi in communi, & orationi mentali, & ſcriptæ

ada-

adaptari) tres prius particulæ, ſicut in definitione termini, & nominis, explicantur. Per vltimam autem verbum & nomen, quæ non habent partes ſeparatas ſignificatiuas, à ratione orationis excludūtur. In oratione intelligitur habere partes ſignificatiuas, eo prorſus modo quo id explicuimus in definitione termini complexi. Quod ſuperfluum perinde duximus nunc repetere. Et licet in eodem materiali, & ratio termini complexi, & ratio orationis imperfectæ reperiatur, vt in his vocibus, homo albus; vtraque tamen ratio formaliter differt: ſub ratione namque termini complexi ratio intelligitur partis per ſe ordinabilis ad propoſitionis ſimplicis compoſitionem: ſub ratione tamen orationis non ordinatur per ſe oratio ad aliud componendum, ſed ipſa eſt per ſe totum, & ad aliud componendum ſolum poteſt per accidens ordinari.

2. Per hanc orationis definitionem optime oratio definitur nullo ei alio ſuperaddito. Quod ſi Ariſtoteles 1. Perihyermenias lectione apud D. Thomam, 56. aliud prædictæ definitioni addere videtur, cum dicit. *Oratio eſt vox ſignificatiua ad placitum, cuius partium aliquid ſignificatiuum eſt ſeparatum, vt dictio, non vt affirmatio, vel negatio.* Re vera illud quod addit non vt partem addit definitionis, nec intendens nullam orationem ha-

bere partes per ſe ſignificatiuas per modũ affirmationis & negationis (ſic enim habet illas propoſitio hypothetica, quæ vere eſt oratio) ſed vt explicet, non eſſe de ratione orationis habere partes ſignificatiuas per modum affirmationis, vel negationis, ſed ſufficere quod habeat illas ſignificatiuas per modum dictionis. Et hęc, alijs omiſſis prædicti Ariſtotelis teſtimonij, explicationibus, eſt legitima illius intelligentia.

3 Triplex orationis in communi & in tota ſua latitudine acceptæ poteſt aſſignari diuiſio. Prima quidem in orationẽ perfectam, & imperfectam. Oratio perfecta eſt, *quæ perfectum generat ſenſum in animo auditoris*. Oratio vero imperfecta, *quæ imperfectum generat ſenſum in animo auditoris*. Generare autem perfectum ſenſum in animo auditoris, non eſt quod audiens orationem, illi aſſentiatur, imò nec quod oratio verum ſignificet vel falſum, ſed quod illam audiens, non maneat ſuſpenſus circa id quod vult aſſerere proferens. Vt ſiquis dicat, Petrus currit, vel vtinam currerem: audiens non manet ſuſpenſus, ſed verè agnoſcit, quid vult aſſerere proferens. Generare autem imperfectũ ſenſum in animo auditoris eſt, quod orationem audiens maneat ſuſpenſus, nec agnoſcat quid vult aſſerere proferens; vt ſi quis dicat, Petrus diſputans: talis oratio eſt imperfecta, & imperfectũ generat

ſen-

ſenſum in animo auditoris, quia ſuſpenſus manet & anceps, quid vlterius velit aſſerere proferens.

4 Altera diuiſio orationis etiam in communi eſt in propoſitionem & nõ propoſitionem. Neque iſta eſt ſubdiuiſio orationis perfectæ, vel imperfectæ, ſed diuiſio (vt dixi) orationis in communi. Quia licet omnis oratio imperfecta ſit nõ propoſitio; ſub oratione tamen perfecta, quæ eſt propoſitio & quæ non eſt propoſitio inuenitur.

5 Tertia denique diuiſio orationis etiam in communi eſt in modũ ſciendi, & non modum ſciendi: id eſt, in orationem quæ eſt modus ſciendi, & in orationem quæ rationem modi ſciendi non habet. Et vtrumque huius diuiſionis membrum tam ſub oratione perfecta, quam ſub oratione imperfecta inuenitur. Definitio enim eſt oratio imperfecta, & modus ſciendi: & hæc oratio, v.g. homo albus, eſt oratio imperfecta, & non eſt modus ſciendi, & argumentatio eſt oratio perfecta, & ſimul modus ſciendi: & hæc oratio v.g. Petrus currit, eſt oratio perfecta; non tamen modus ſciendi, vnde vt dixi; hæc non eſt ſubdiuiſio, ſed diuiſio orationis in communi & in tota ſua latitudine acceptæ. Explicando autem quid ſit propoſitio, conſtabit quid ſit oratio quæ nõ eſt propoſitio, & explicando quid ſit modus ſciendi, conſtabit quid ſit oratio quæ modi ſciendi rationem non habet,

Vnde vt id explicemus; de propoſitione & modo ſciendi in ſequentibus eſt agendum, & prius de modo ſciendi, poſtea autem de propoſitione.

CAPVT II.

De modo ſciendi.

MOdus ſciendi eſt *oratio alicuius ignoti manifeſtatiua*. Diciturque modus ſciendi, quia omnis manifeſtatio, ad ſcientiam ordinatur. Vnde modus aliquid manifeſtandi, modus dicitur ſciendi, illeque principaliter intenditur in Dialectica, quæ tota verſatur in tradendo alijs ſcientijs modum & methodum ſciendi. In practica autem definitione modi ſciendi *oratio* obtinet locũ generis: quia omnis modus ſciendi eſt oratio: reliquum autem, ſcilicet, *alicuius ignoti manifeſtatiua* eſt differẽtia modi ſciẽdi ab alijs orationibus, quæ rationẽ modi ſciendi non habent: vt ab hac oratione, homo albus; vel ab iſta, homo diſputat. Pro quo eſt aduertendum, quod multiplex eſt manifeſtatio alicuius, videlicet, vel per ſignificationem: & ſic manifeſtatur quodlibet ſignificatum ſimplex, compoſitum vt per ſuum ſignum: vt manifeſtatur per hanc orationem, homo albus, ſuum ſignificatum: hæc autem manifeſtatio nõ

ſuffi-

ſufficit ad modum ſciendi. Vel eſt manifeſtatio per ſimplicem enunciationem alicuius; vt ſi neſcienti an Petrus currat, vel non currat, dicat quis quod Petrus currit. Hæc autem manifeſtatio etiam non ſufficit ad rationem modi ſciendi. Vel denique poteſt eſſe manifeſtatio alicuius ignoti, artificioſa quidem & per modum alicuius inſtrumenti Logici, vt per modum definitionis, diuiſionis, vel argumentationis, & ſic intelligitur manifeſtatio in definitione modi ſciendi, quod ſit oratio alicuius ignoti manifeſtatiua.

2. Vnde ſi contra eam definitionem fiat argumentum. Quod hæc oratio, v.g. Petrus currit, prolata alicui neſcienti, an Petrus currat, eſt oratio alicuius ignoti manifeſtatiua: & tamen non eſt modus ſciendi; cum ſub nulla eius ſpecie, definitione videlicet, diuiſione, vel argumẽtatione compræhendatur; ergo definitio modi ſciendi non eſt bona. Diſtinguat illam maiorem Dialecticus, & dicat quod talis oratio eſt alicuius ignoti manifeſtatiua, non artificiosè, & quod in definitione modi ſciendi intelligitur manifeſtatio ignoti artificioſa.

3 Diuiditur modus ſciendi in definitionem, diuiſionem, & argumentationẽ. Cuius diuiſionis ſufficientia ex eo deducitur, quia quidquid eſt ignotum & artificioſo modo manifeſtabile, vel eſt quid incomplexum, vel complexum: ſi incomplexum vt homo, vel animal; vel

po-

poteſt eſſe ignotum de illo quid ſit, vel quotuplex ſit: & primum manifeſtatur per definitionem eius: Secundum autem per eius diuiſionẽ. Vel id quod eſt ignotum poteſt eſſe complexum: vt ſi alicui ſit ignota hæc veritas quod homo eſt riſibilis: & tale ignotum ſolum eſt manifeſtabile artificiosè per diſcurſum & argumẽtationem. Adæquate igitur modus ſciendi, qui eſt manifeſtatio artificioſa alicuius ignoti, diuiditur in definitionem, diuiſionem, & argumentationem. De ſingulis autem his modi ſciendi ſpeciebus ſeorſum in tribus capitulis ſequentibus eſt agendum.

CAPVT III.

De definitione.

DEfinitio eſt *oratio naturam rei explicans, aut termini ſignificationem exponens*. Hic iam definitionis inſinuatur prima diuiſio, in definitionem videlicet quid rei, & quid nominis, & vtrique prædicta aſſignata competit definitio. Nam definitio quid rei, eſt *oratio naturam rei explicans*, vt hæc definitio, animal rationale, eſt oratio naturam explicans hominis. Definitio quid nominis eſt *oratio termini ſignificationem exponens*:

nens : vt ſi intendens explicare quid ſignificet hic terminus *album*, dicat quod album eſt *habens albedinem* : in quo nõ intendit explicare naturã habentis albedinem, nec naturam ipſius albedinis, ſed ſolum ſignificationem huius termini albũ, ac ſi diceret, ly album idem ſignificat, atque ly habens albedinem.

2 Vt definitio aliqua ſit bona, triplex communiter aſſignatur conditio. Prima eſt, quod conſtet ex genere & differentia: quod non vtique de proprio genere & propria differentia, eſt intelligendum (hoc enim ſolum conuenit definitioni quidditatiuæ metaphiſicæ) ſed quod conſtet definitio aliquo communi, in quo definitum conueniat cum alijs (quod late ſaltem dicitur genus) & aliquo ſpeciali, per quod definitum differat ab alijs, quod perinde dicitur differentia. Et illud commune quod in definitione habet vicem generis, debet eſſe quid commune proximum & immediatum, in quo vltimo cum alijs conuenit definitum, nec ſufficit quod ſit aliquid commune remotum, in quo conueniat cum illis; vt ſi velis definire hominem, debet definiri per animal tanquam per genus: quia animalitatem vltimò conuenit cum alijs ab homine, ſcilicet cum brutis. Nec rectè definiretur per corpus: quia licet in corporeitate etiam conueniat cum brutis; non eſt id vltimum, ſed remotum, in quo conuenit cum illis.

3 Se-

3 Secunda conditio: quod definitio debet eſſe clarior ſuo definito: quia cum detur ad manifeſtandum definitum; ſi nõ eſt clarior, non erit illius manifeſtatiua. Ex quo infertur, quod definitum non debet ingredi ipſam definitionem: aliàs ita obſcura, confuſa, & implicata eſſet definitio ac definitum.

4 Tertia denique conditio: quod definitio non debet eſſe redundans, nec diminuta, id eſt, nihil debet ei deficere ad explicandã naturam definiti, nec aliquid debet habere non neceſſarium ad explicandam ipſius definiti naturam. Indeque deducitur definitionem debere eſſe conuertibilem cum definito, ita vt ſit mutua conſequentia à definito ad definitionem, & à definitione ad definitum. Vt ſi dicas, eſt homo: ergo animal rationale. Eſt animal rationale: ergo homo. Defectu huius conditionis, non eſſet bona definitio hominis per animal rationale mortale: quia illa particula non requiritur ad explicandam naturam hominis, nec per illã excluditur aliquid à ratione hominis, quod per alias particulas non ſit ſufficienter excluſum. In errore autem quod eſſent Dij animalia rationalia, immortalia tamen, non recte definiretur homo per animal rationale: quia deficeret ad eius explicandam naturam illa particula mortale, per quam ſolum tunc differret à talibus Dijs, qui non eſſent homines.

5 Relicta definitione quid nominis,

nis definitio, quid rei diuiditur in definitionẽ quidditatiuam, & deſcriptiuam; & cauſalem. Definitio quidditatiua, eſt quæ datur per partes eſſentiales cuiuſcumq; rei, vel phiſicas, vel metaphiſicas. Duplex eſt definitio eſſentialis, altera metaphiſica, altera phiſica. Metaphiſica, quæ datur per proprium genus & propriã differẽtiam, vt cum definitur homo per animal rationale. Phiſica, quæ datur per materiam & formam intrinſecã: vt cũ definitur homo quod ſit compoſitus ex corpore & anima. Definitio deſcriptiua, eſt oratio quæ explicat naturam rei per eius accidentia: & quia accidentia vel poſſunt eſſe propria, vel communia; Altera eſt definitio propria deſcriptiua, id eſt, quæ explicat naturam rei per accidẽtia illius propria: ſicut homo definitur deſcriptiuè, quod ſit animal riſibile. Altera eſt definitio impropria deſcriptiua, & quæ proprius dicitur accidentalis: quæ videlicet explicat naturam rei per accidẽtia illius communia: vt ſi definias hominẽ quod ſit animal bipes. Definitio denique cauſalis eſt, quæ explicat naturam rei per eius cauſas. Et quia ex quatuor causis alicuius rei, formalis & materialis ſunt cauſæ ei eſſentiales & intrinsecæ, & definitio per cauſam materialem, & formalem, potius dicitur quidditatiua & eſſentialis, quam cauſalis; & sic definitio cauſalis eſt, quæ explicat naturam rei per eius cauſas extrinſecas, vt per efficientem, vel finalem: per effi-

efficientem quidem vt ſi definias hominē, quod ſit animal cauſatum à Deo: per finalem autem, vt ſi illum definias, quod ſit animal ordinatum ad beatitudinem.

6 Denique ex diuerſitate harum definitionum deducitur, quid diuerſæ interrogationes de definitione & definito inquirant. Interrogans enim quæ ſit definitio, inquirit, an ſit definitio quid rei, vel quid nominis; quidditatiua, phiſica; vel metaphiſica; vel deſcriptiua. Interrogans vero qualis ſit definitio, interrogat, an ſit bona, vel mala. Ad interrogationem autem definiti quid ſit, reſpondetur per eius definitionem quidditatiuam metaphiſicam. Ad interrogationem ex quo ſit, per eius definitionem quidditatiuam phiſicam. Ad interrogationem qualis ſit, per eius definitionem deſcriptiuã. Ad interrogationem à quo ſit, per eius definitionem cauſalem efficientem. Ad interrogationem denique propter quid ſit, per eius definitionem cauſalem finalem. Vt ſi inquiras, quid eſt homo; reſpondetur quod animal rationale: ſi inquiras, ex quo eſt homo; reſpõdetur quod ex corpore & anima: ſi inquiras qualis eſt homo; reſpondetur quod eſt animal riſibile, bipes, vel pulchrum: ſi iniquitas; quo eſt, reſpondetur quod à Deo: ac denique ſi inquiras propter quid eſt; reſpondetur quod eſt animal creatum propter beatitudinem.

CAPVT IV.

De diuiſione.

SEcunda ſpecies modi ſciendi, eſt diuiſio: & eſt *oratio rem per ſuas partes, vel terminum per ſuas ſignificationes diſtribuens*. In quo iam duplex inſinuatur diuiſio: altera quid rei, altera quid nominis, & vtrique præfatæ diuiſioni competit definitio. Diuiſio enim quid rei eſt *oratio rem per ſuas partes diſtribuens*: Vt ſi diuidas animal in rationale & irrationale. Diuiſio quid nominis eſt *oratio terminum per ſuas ſignificationes diſtribuens*: Vt ſi dicas quod canis alius eſt latrabilis, alius marinus: in quo non diuiditur res aliqua, quia non datur natura canis communis & diuiſibilis in canem latrabilem & marinum; ſed diuiditur per ſuas diuerſas ſignificationes hæc vox & terminus canis: & eſt idem ac dicere, hic terminus canis ſignificat canem latrabilem, & canem marinum.

2 Tres exigit conditiones diuiſio quid rei vt ſit bona. Prima quod ſingula mēbra diuidentia ſint inferiora diuiſo: quia cum diuiſum ſit commune, & abſtrahens à membris diuidentibus; quodlibet illorū debet eſſe inferius diuiſo. Secunda quod

om-

omnia membra diuidentia ſimul ſumpta exhauriant totam confuſionem diuiſi, & ipſi diuiſo ſint æqualia. Id eſt, quod nihil contineatur ſub diuiſo, quod nō contineatur in omnibus eius membris ſimul ſumptis: & nihil ſit in illis ſimul ſumptis, quod non contineatur ſub diuiſo. Tertio quod membra diuidentia ſint oppoſita ſuis rationibus formalibus: dicimus debere eſſe oppoſita formaliter: quia materialiter poſſunt coincidere: vt ſi diuidas ens in verum & bonum, vel diuidas bonū in honeſtum, vtile, & delectabile; non omnia membra harum diuiſionum diſtinguuntur materialiter, omnia tamen illa diſtinguuntur & opponuntur formaliter.

3 Relicta diuiſione quid nominis, diuiſio quid rei eſt duplex: altera eſſentialis, altera accidentalis. Eſſentialis eſt, quæ datur per partes eſſentiales; & in illa, membra diuidentia ſunt eſſentialiter inferiora diuiſo. Diuiſio accidentalis eſt, quæ datur per partes accidentales; & in illa, membra diuidentia ſunt ſolum accidentaliter inferiora diuiſo. Subdiuiditur autem diuiſio eſſentialis in diuiſionem generis in ſuas ſpecies, vt animal diuiditur in hominem, leonem, & equum, &c. Et in diuiſionem generis in ſuas differentias, vt animal diuiditur in rationale & irrationale. Diuiſio etiam accidentalis triplex eſt: ſubiecti videlicet in accidentia, accidentis in ſubiecta, & accidentis in accidentia; ſubiecti in accidentia: vt ſi

di-

diuidas hominem in album & nigrum: accidentis in ſubiecta, vt ſi diuidas album in lac & niuem; accidentis in accidentia; vt ſi diuidas album in dulce & amarum.

4. Ex conditionibus poſitis bonæ diuiſionis, triplex communiter deducitur locus in diuiſionibus arguendi. Primus à diuiſo ad omnia membra diuidentia diuiſiue ſumpta, & ab illis, etiam diuiſiue ad diuiſum, ſiue affirmatiue, ſiue negatiue eſt bona conſequentia: vt bene valet, eſt animal, ergo rationale, vel irrationale: non eſt rationale vel irrationale, ergo non eſt animal. Secundus à diuiſo cum negatione vnius membri ad poſitionem alterius, eſt bona conſequentia, ſi diuiſio ſit bimembris: & ſi ſit trimembris cum negatione duorum membrorū ad poſitionem alterius reſtantis, vt bene valet, eſt animal, & non eſt irrationale, ergo rationale. Tertius locus eſt, quod quando diuiſio datur per membra, non ſolum formaliter, ſed realiter & entitatiue diſtincta & oppoſita, à poſitione vnius membri ad negationem alterius, eſt bona conſequentia; vt ſi dicas, eſt rationale, ergo non eſt irrationale. Hic tamen locus non tenet in diuiſione in membra ſolum formaliter oppoſita, vt in diuiſione entis in bonum & verum: non enim valet; eſt bonum, ergo non eſt verum.

5 Præter iſtos tres modos arguendi in diuiſione, duplex eſt alius locus arguendi

etiam

etiam in diuiſione, deſumptus ex illa prima conditione, quod ſingula membra diuiſionis debent eſſe inferiora diuiſo. Primus, quod à diuiſo ad aliquod determinate membrorum diuidentium affirmatiue eſt mala conſequentia, negatiue autem eſt bona. Vt hæc eſt mala; eſt animal, ergo rationale, poteſt enim eſſe animal, & non rationale, ſed irrationale: & hæc eſt bona, non eſt animal, ergo non eſt rationale, quia non ſtat eſſe rationale, quin ſit animal. Et hic locus fundatur in communi loco arguendi à ſuperiori ad inferius, quod negatiue tenet conſequentia; affirmatiue autem non valet. Secundus locus eſt, quod à quolibet determinate membrorum diuidentium ad diuiſum affirmatiue valet conſequentia; negatiue autem non valet; vt hæc eſt bona conſequẽtia, eſt rationale, ergo eſt animal: quia non ſtat eſſe rationale, quin ſit animal: & hæc eſt mala, non eſt rationale, ergo nõ eſt animal: ſtat enim, aliquid non eſſe rationale, & nihilominus eſſe irrationale, & conſequenter animal. Et hic locus arguendi fundatur in communi regula quod ab inferiori ad ſuperius affirmatiue eſt bona conſequentia, negatiue autem non valet: quia vt diximus quodlibet membrorũ diuidentium comparatur ad diuiſum vt inferius; & diuiſum ad ſingula membra diuidentia ſe habet vt ſuperius.

CAPVT V.

De argumentatione.

LIcet de argumentatione, & eius ſpeciebus, vtpote ad diſcurſum, tertiam ſcilicet operationem intellectus, pertinentibus, latè ſit dicendũ in tertio libro, aliqualiter tamen de his eſt nunc agendum: & quia argumentatio eſt ſpecies modi ſciendi, & quia eius aliqualis notitia eſt neceſſaria pro pluribus in hoc ſecundo libro explicandis vſque dũ in tertio libro (vt diximus) plenior eiuſdem materiæ tradatur; notitia. Eſt igitur argumentatio, *oratio in qua vno dato alterum ſequitur*: vt ſi dicas, Petrus eſt homo, ergo eſt riſibilis. Vbi ex illo dato quod Petrus ſit homo, ſequitur aliud, nẽpè quod ſit riſibilis. Vnde argumentatio tria includit, ſcilicet, antecedens & conſequens, & notam illationis. Antecedens eſt illud ex quo aliud ſequitur. Conſequens, quod ſequitur ex antecedenti, & nota illationis eſt particula denotans ipſam connexionem, & illationem conſequentis cum antecedenti.

2 Diuiditur autem argumentatio dupliciter. Primo ratione formæ diſcurſus, in ſyllogiſmum, enthimema, inductioné,

&

& exemplum. Syllogiſmus eſt diſcurſus conſtans tribus propoſitionibus, & nota illationis; ex duabus videlicet præmiſſis, quarum prima vocatur maior, ſecunda minor, & vtraque ſimul habet vim antecedentis, ex quo ſequitur conſequens, quæ eſt tertia propoſitio, & vocatur concluſio, & ex nota illationis quæ coniungit antecedens cum conſequenti: vt ſi dicas omnis homo eſt animal. Petrus eſt homo, ergo Petrus eſt animal. Enthimema reducitur ad ſyllogiſmum, quia eſt ſyllogiſmus imperfectus & truncatus, in quo ex vna præmiſſa quæ vocatur antecedens, infertur alia quæ vocatur conſequens, & coniunguntur per notam illationis, vt ſi dicas, Petrus eſt homo, ergo Petrus eſt animal; vbi formaliter omittitur alia præmiſſa, quæ poterat apponi, ſcilicet, omnis homo eſt animal, qua poſita fieret ſyllogiſmus, & qua omiſſa fit ſyllogiſmus truncatus, ſeu enthimema. Inductio eſt argumentum à ſingularibus, quæ ſenſibus experimur ad probandam aliquam propoſitionem vniuerſalem; vt ſi dicas, hic homo eſt albus, ergo omnis homo eſt albus. Exemplum eſt argumentum à ſimili, vt quando ex aliquo ſingulari infertur quod idem continget in alio ſimili: vt ſi arguas Deus pepercit Latroni vel Magdalenæ, ergo parcet alijs ſimilibus peccatoribus. De his autem ſpeciebus argumentationis latius & in ſpeciali, in lib. 3. eſt diſſerendum.

3 Diuiditur argumentatio ratione notæ illationis in conditionalem rationalem, & cauſalem. Conditionalis eſt, quando antecedens & cōſequens vniuntur per particulā *ſi*: vt hæc, si homo diſputat, homo loquitur, rationalis eſt, in qua antecedens & conſequens vniuntur per notam illationis *ergo*, vel *igitur*. Cauſalis, in qua antecedens & conſequens vniuntur per notam illationis *quia*. Et differunt, quod ad veritatem conditionalis ſufficit & requiritur quod sit bona conſequentia. Vnde licet antecedens & conſequens sit verum, si conſequentia eſt mala, tota conditionalis eſt falſa; vt hæc, si homo eſt rationalis, homo eſt ſubſtantia: & licet antecedens & conſequens sit falſum, si conſequentia eſt bona, tota conditionalis eſt vera; vt hæc si homo volat, habet alas. Ad veritatem autem rationalis requiritur, quod conſequentia sit bona, & inſuper quod antecedens sit verum: vt hæc eſt vera, homo eſt risibilis, ergo eſt rationalis: hæc autem falſa, homo eſt lapis, ergo homo eſt ſubſtantia, quia licet conſequentia sit bona, antecedens non eſt verum. Ad veritatem autem cauſalis requiritur, quod conſequentia sit bona, & antecedens sit verum, & cauſa conſequentis, vt hęc, quia homo eſt rationalis, homo eſt risibilis: hæc autem eſt falſa: quia homo eſt risibilis, homo eſt rationalis: quia licet conſequentia sit bona, & antecedens sit ve-

 rum;

rum; antecedens tamen non eſt cauſa conſequentis. Vnde infertur quod ſi iſtæ propoſitiones ſeu argumentationes conſtent eiſdem terminis, à cauſali ad rationalem, vel conditionalem, eſt bona conſequentia, & à rationali ad conditionalem, non tamen à conditionali ad rationalem, vel cauſalem, nec à rationali ad cauſalem; quia plus exigit ad ſui veritatem cauſalis, quam rationalis & conditionalis; & plus rationalis quam conditionalis.

4 Diuiditur autem conſequentia in bonam & malam: bona eſt, in qua conſequens bene ſequitur ex antecedenti, & non poteſt in illa eſſe antecedens verum & conſequens falſum. Mala autem conſequentia (& quæ ſolum apparens eſt conſequentia) eſt illa, in qua conſequens non rectè ſequitur ex antecedenti, ac perinde poteſt in illa antecedens eſſe verum & conſequens falſum. De regulis autem bonæ conſequentiæ, & pluribus alijs, quæ circa materiam huius capitis deſiderantur, in tertio lib. vt in proprio loco eſt agendum.

CA-

CAPVT VI.

De propoſitione.

AD principale huius libri accedimus intentum, cum in hoc capite de propoſitione agere incipimus. Et quamuis propoſitio in rigore aliquid addat ſupra enuntiationem, nempè quod proponatur, & aſſumatur ad aliquid probandum in argumentatione; vt colligitur ex Ariſtotele 1. poſteriorum, & ex D. Thoma ibi lectione 5. & opuſc. 48. tractatu de ſyllogiſmo ſimpliciter cap. 1. tamen iam apud omnes pro eodem accipitur propoſitio & enuntiatio; & ſic indifferenter pro eodem his vtimur nominibus. Eſt igitur propoſitio *oratio verum vel falſum ſignificans*. In qua definitione *oratio* ponitur loco generis & in ratione orationis propoſitio conuenit cum alijs omnibus orationibus perfectis & imperfectis. Significare autem verum vel falſum ponitur ad differētiam omnis orationis imperfectæ, & orationis etiam perfectæ præter orationem indicatiui, quæ non ſignificant, verum vel falſum. Vnde cum nulla oratio præter indicatiui orationem, verum vel falſum ſignificet, & omnis oratio indicatiui ſignificet verum vel falſum: ſuperfluum erit, addere in hac

propoſitionis definitione particulam, quã aliqui addunt *indicando*: quia per illam particulam nihil excluditur à ratione propoſitionis, quod per illam particulam ſignificare verum vel falſum non ſit ſufficienter excluſum. Vnde iuxta regulam ſupra traditam bonæ definitionis non debet talis particula in hac definitione ſuperaddi. Et quia illam non addidit Ariſtoteles illam addere non debemus. Imò etiã ſi talis particula ſuperadderetur in definitione propoſitionis: definitio quidem cũ tali particula competeret omni propoſitioni cathegoricæ, quia illa, vt ſignificet verum vel falſum, debet eſſe modi indicatiui: non tamen competeret omni propoſitioni etiam hypotheticæ: plures enim ſunt propoſitiones hypotheticæ, quæ vere rationem propoſitionis participant; & tamen non ſignificant verum vel falſum indicando; vtpote quia nulla pars illarum eſt indicatiui modi: vt hæc propoſitio, ſi diſputares, eſſes doctus: niſi forte illa particula *indicando*, vt cõpetat omni propoſitioni intelligatur nimis impropriè pro eodem, atque aſſerendo. Præter quã ergo quod vt diximus, illa particula indicando in definitione propoſitionis cathegoricæ eſt ſuperflua, ac proinde non debet addi, vt definitio competat omni propoſitioni debet totaliter ab illa talis particula relegari, id eſt, in illa non ſuperaddi.

2 Significare autem verum vel falſum reperitur in propoſitione vocali, mentali,

& ſcripta tãquam in ſigno veritatis obiectiuæ. Vnde quia vt ait Philoſophus, ab eo quod res eſt, vel non eſt, propoſitio dicitur vera vel falſa; tunc aliqua propoſitio eſt vera, & ſignificat verũ, quando ita eſt, ſicut per illam ſignificatur, & tunc eſt falſa, ſeu falſum ſignificat, quando non eſt ita, ſicut per illam ſignificatur: vt hæc propoſitio eſt vera, homo eſt riſibilis, quia per illam ſignificatur conuenire homini riſibilitatem; & ita eſt quod riſibilitas cõpetit homini: Et hæc eſt vera, homo non eſt hinnibilis: quia per illam ſignificatur hinnibilitatem non conuenire homini, & ita eſt quod hinnibilitas non competit homini: & hæc eſt falſa, homo eſt hinnibilis, quia per illam ſignificatur conuenire homini hinnibilitatem, & ita in re non eſt, & hæc etiam eſt falſa, homo non eſt riſibilis, quia per illam ſignificatur riſibilitatem non conuenire homini, & non eſt ita in re, ſed potius in re riſibilitas competit homini.

3 Obijcies aduerſus præfatam definitionem propoſitionis: quod nihil poteſt definiri per oppoſita, ſed verum & falſum, ſeu ſignificare verum vel falſum, ſunt oppoſita. Ergo per id non poteſt definiri propoſitio. Maior patet quia cum definitio explicet naturam definiti: & nulli rei poſſint competere oppoſita. nulla res poteſt definiri per oppoſita.

§. Reſpondetur diſtinguendo maiorem, Nihil poteſt definiri per oppoſita, copu-

latius, ita vt denotetur vtrumque oppoſitum debere illi ſimul competere, concedo maiorem: non poteſt definiri aliquid per oppoſita, diſiunctiue, ita vt denotetur vnum vel alterum illorum diſiunctiue debere illi competere, nego maiorem. Et ſic definitur propoſitio per verum vel falſum, & denotatur per talem definitionem ſemper debere competere vnum vel alterum iſtorum, nempè vel ſignificare verũ, vel falſum: & quamuis alterum iſtorum determinate competere propoſitioni ſit omnino illi accidentale, ita vt per ſolam variationem obiecti eademmet propoſitio poſſit modo ſignificare verum, & poſtea falſum: tamen ipſummet diſiunctum, ſcilicet, ſignificare verũ vel falſum, optime poteſt eſſe eſſentia, vel ſaltem propria paſſio propoſitionis, & ita per id deſcriptiue ſaltem optime definiri.

CAPVT VII.

De diuiſione propoſitionis ratione ſuę ſubſtantiæ.

MVltiplex poteſt aſſignari propoſitionis diuiſio. Quadruplex tamen præcipua datur in hoc & ſequentibus capitibus explicanda. Prima quidem ratione ſuæ ſubſt antię, ac per-

in-

inde ſubſtãtialis diuiſio propoſitionis eſt, in cathegoricam, & hypotheticam. Cathegorica eſt quæ conſtat ſubiecto, copula, & prædicato, tanquam partibus principalibus ſui. Subiectum autem eſt illud de quo aliud dicitur: Prædicatum autem quod dicitur de aliquo, & copula quæ coniungit ſubiectum cum prædicato: vt in hac propoſitione, *homo eſt animal*, ly homo eſt ſubiectum, quia de illo dicitur ly animal, quod eſt prædicatum, & animal eſt prædicatum, quia dicitur de ſubiecto, & ly eſt habet rationem copulæ, quia coniungit ſubiectum cum prædicato. Dicitur autem in prædicta definitione propoſitionis cathegoricæ, quod debet conſtare ſubiecto copula & prædicato tanquam ex partibus principalibus ſui, ad differentiam propoſitionis hypotheticæ: quia licet poſſit conſtare ſubiecto copula & prædicato propoſitionum cathegoricarum illam componentium, ipſa tamen propoſitio hypothetica nõ cõſtat ſubiecto copula & prædicato tanquam ex partibus proximis & principalibus ſui, ſed tanquã ex partibus remotis & minus principalibus ſui. Partes enim principales & proximæ illius ſunt ipſæ propoſitiones cathegoricæ, ſeu complexa propoſitionalia, ex quibus immediatè componitur. Hic iam inſinuatur natura alterius ſpeciei propoſitionis nempe propoſitionis hypotheticæ, quæ eſt alterum membrum huius diuiſionis; quod nimirum ſit

propoſitio conſtans ex duabus propoſitionibus cathegoricis tanquam ex partibus principalibus ſui. De propoſitione tamen hypothetica, eiuſque natura & ſpeciebus commodius agemus à cap. 11. huius libri, explicatis prius in tribus immediate ſequentibus capitibus aliÿs propoſitionis communis diuiſionibus.

2 Circa propoſitionem autem cathegoricam ſolum eſt aduertendum: quod debet conſtare ſubiecto, copula, & prædicato: non tamen ita quod in omni propoſitione prædicatum debeat eſſe diſtinctũ realiter à copula; ſed aliquãdo ipſa copula rationẽ poteſt habere prædicati: vt in propoſitionibus de ſecundo adiacente: vt in iſtis, homo diſputat, homo eſt: tunc enim vt in c.2. huius libri diximus, ipſum verbum & rationem habet copulæ, & prędicati, & ſeipſo vnitur ſubiecto. Et quãuis omnis talis propoſitio æquiualeat in conſequendo alii propoſitioni, in qua ſit prædicatum expreſſum diſtinctum à verbo, vt hæc propoſitio, homo diſputat, æquiualet huic, homo eſt diſputans, & hæc homo eſt, æquiualet huic, homo eſt exiſtens, vel eſt ens; hoc vtiq; eſt in æquiualendo, non in ſignificando: quia cum verbum debeat eſſe incomplexũ, nõ debet ſubordinari pluribus conceptibus, ac perinde nec inſignificãdo habere plures partes ſignificatiuas. Vnde, vt diximus, ipſummet verbum rationem poteſt habere copulæ & prædicati.

CA-

CAPVT VIII.

De diuiſione propoſitionis ratione qualitatis.

RAtione ſuæ qualitatis diuiditur propoſitio in affirmatiuam & negatiuã. Et quia qualitas propoſitionis attenditur pœnes copulam & prædicatum, quæ ſunt partes præcipuæ & formales propoſitionis; & quantitas propoſitionis, vt capite ſequenti videbimus, attẽditur pœnes ſubiectum, quod eſt pars materialis & minus præcipua illius: ideo prius de diuiſione propoſitionis ratione qualitatis, quam de diuiſione illius ratione quantitatis eſt agẽdum. Quia autem in propoſitione eſt conſiderare eius ſubſtantiam, quantitatem, & qualitatem; de illa poteſt inquiri, quæ, & qualis, & quanta ſit, & ad interrogationẽ quæ ſit propoſitio, reſpondetur, quod eſt cathegorica, vel hypothetica. Ad interrogationem qualis ſit: quod eſt affirmatiua, vel negatiua: & ad interrogationem quanta ſit; quod eſt vniuerſalis, vel particularis, indefinita, vel ſingularis.

2 His ſuppoſitis diuiditur propoſitio ratione qualitatis in affirmatiuam & negatiuam: affirmatiua eſt in qua prædicatum affirmatur de ſubiecto: affirmari autem prædicatum de ſubiecto, eſt quod

copula media qua prædicatum vnitur ſubiecto, ſit affirmata, id eſt, non affecta aliqua negatione; & per oppoſitum negari prædicatum de ſubiecto eſt, quod copula media qua prædicatum vnitur ſubiecto, ſit negata per negationem ipſam copulam afficientẽ, ſiue talis negatio præcedat prædicatum, vt in hac, Petrus non eſt albus, ſiue negatio prędicatum ſequatur, dummodo copulam præcedat, vt in hac propoſitione, Petrus lapis non eſt: quia ad propoſitionem negatiuã ſufficit quod copula negetur: imò, & ſi prædicatum negationem præcedat, negatione tamen virtualiter afficitur quia prædicta v. g. propoſitio, Petrus lapis nõ eſt, ęquiualet huic, Petrus nõ eſt lapis: & ſolum in voce prędicatum poteſt præcedere copulam, quia in re ſemper copula mediat inter ſubiectum & prædicatum, vtpote quæ eſt vnio inter vtrumque.

3 Copula autem propoſitionis poteſt eſſe duplex, principalis ſcilicet, & minus principalis. Principalis eſt: quæ vnit pręcipuum prædicatum cum ſubiecto. Minus principalis, quæ & copula implicationis vocatur, eſt quæ ſe tenet ex parte alicuius extremi propoſitionis, ſubiecti videlicet vel prædicati: vt in hac propoſitione, homo qui currit, eſt animal, illa copula *eſt*, eſt principalis, copula vero *currit*, eſt copula minus principalis, & copula implicationis, quia ſe tenet ex parte ſubiecti, & ſubiectum non eſt ſolum *homo*, ſed

to-

totum illud, *homo qui currit*. Et in hac propoſitione, Petrus eſt animal, quod currit, ly *eſt*, eſt copula principalis, & ly *currit*, eſt copula minus principalis, ſeu copula implicationis: quia ſe tenet ex parte prædicati, & prædicatum non ſolũ eſt animal, ſed totum illud, ſcilicet animal quod currit: affirmatio autem, vel negatio propoſitionis ſolũ pœnes copulam attenditur principalem, ita vt ſi copula principalis eſt affirmata, propoſitio eſt affirmatiua, ſiue copula minus principalis affirmetur, ſiue negetur: & iſtæ propoſitiones ſunt affirmatiuæ: Petrus qui currit, diſputat: Petrus qui non currit, diſputat: quia in vtraq; copula principalis affirmatur, licet copula minus principalis in altera affirmetur, & in altera negetur: & ſi copula principalis eſt negata, propoſitio eſt negatiua; ſiue copula minus principalis affirmetur, ſiue negetur: & iſtæ ſunt negatiuæ, Petrus qui currit non diſputat: Petrus qui nõ currit, non diſputat: quia in vtraq; copula principalis negatur, licet copula minus principalis in altera affirmetur, et in altera negetur.

4 Poteſt autem copula principalis eſſe ſimplex vel compoſita. Simplex quidem, vt in hac propoſitione, Petrus eſt albus: Compoſita vero et complexa, vt in hac propoſitione, Petrus eſt et fuit albus. Et quidem ſi copula principalis eſt ſimplex nulla eſt difficultas de propoſitione, an ſit affirmatiua, vel negatiua. Si autem copu-

la principalis fuerit compoſita et cōplexa, et vtraque copula principalis affirmatur, vt in iſta, Petrus eſt et fuit albus: Petrus eſt vel fuit albus, non eſt dubium, quòd tales propoſitiones ſint omnino affirmatiuæ. Similiter ſi vtraq;copula principalis negatur, vt in his, Petrus non eſt et non fuit albus; Petrus non eſt, vel nō fuit albus, non eſt dubium quod tales propoſitiones ſint omnino negatiuæ: Et ſolū eſt difficultas cum altera copula principalis affirmatur, et altera negatur, vt in his propoſitionibus, Petrus eſt et non fuit albus: Petrus eſt, vel non fuit albus. Et de illis eſt dicendum quod nō ſunt formaliter affirmatiuæ, nec negatiuæ; ſed formaliter ſunt mixtæ qualitatis. Et ſi fuerit propoſitio disiuncta erit virtualiter negatiua, quia habebit conditiones negatiuæ, nempè quod non exigat ad ſui verificationem ſuppoſitionem extremorum, ſed poſſit per non ſuppoſitionem extremorū verificari. Et ſi propoſitio eſt copulata erit virtualiter affirmatiua, eo quod habebit conditiones affirmatiuæ, ſcilicet quod exigat ad ſui verificationem, ſuppoſitionem extremorum, et non poſſit per non ſuppoſitionem extremorum verificari.

5 Aliqui exiſtimant quod hæc diuiſio propoſitionis in affirmatiuā et negatiuā, non eſt propoſitionis in cōmuni ſumptæ; ſed ſolum propoſitionis cathegoricę, quia exiſtimant, hypotheticas non eſſe affirmatiuas vel negatiuas per affirmationem

vel

vel negationem cathegoricarum illas cõponentium, ſed per affirmationem vel negationem copulæ coniungentis cathegoricas: ſed vt videbimus, cum de copulatiuis, & diſiunctiuis agamus, earum affirmatio vel negatio ex affirmatione & negatione ſuarum cathegoricarum deſumitur: licet affirmatio vel negatio conditionalis & cauſalis ex affirmatione & negatione copulæ conditionalis vel cauſalis deſumatur, vt poſtea explicabimus. Vnde licet hæc diuiſio clarius appareat in propoſitionibus cathegoricis, etiam comprehendit propoſitiones hypotheticas. Et ſic per illam diuiditur propoſitio vt abſtrahit à cathegorica & hypothetica.

CAPVT IX.

De diuiſione propoſitionis ratione illius quantitatis.

Diuiſa propoſitione ratione qualitatis, diuiditur ratione quantitatis, quæ attenditur pœnes eius ſubiectum: quia ſicut in homine quantitas deſumitur à materia, ita & in propoſitione eius quantitas deſumitur à ſubiecto, quod reſpectu copulæ & prædicati ſe habet vt materia. Et quia quãtitas in corpore eſt extenſio illius; proportionabiliter & quãtitas propoſitionis eſt extẽſio illius ſubiecti, quatenus pro pluribus vel paucioribus accipitur

tur ſignificatis. Ratione igitur quantitatis diuiditur propoſitio in vniuerſalem, Particularem indefinitam, & ſingularem. Propoſitio vniuerſalis, eſt cuius ſubiectum eſt terminus communis ſigno vniuerſali affectus, vt hæc omnis homo eſt albus: ſignum autem vniuerſale eſt, quod diſtribuit terminum pro omnibus ſuis ſignificatis, vt hæc ſigna, omnis, quilibet, nullus, vterque, vel neuter. Propoſitio particularis eſt, cuius ſubiectum eſt terminus communis ſigno particulari affectus, vt hæc, aliquis homo eſt albus: ſigna autem particularia ſunt, quæ non diſtribuunt terminum pro omnibus ſuis ſignificatis; ſed faciunt, illum accipi diuiſiue pro aliquo illorum, vt hæc ſigna, aliquis, quidam, vel alter. Propoſitio indefinita eſt cuius ſubiectum eſt terminus communis nullo ſigno affectus: vt hæc propoſitio, homo eſt albus. Propoſitio denique ſingularis eſt, cuius ſubiectum eſt terminus ſingularis diſcretus, vel terminus communis pronomine demonſtratiuo affectus: vt iſtæ propoſitiones, Petrus diſputat, hic homo diſputat.

2 Sufficientia autem huius diuiſionis ex ipſa manet iam inſinuata: Nam ſubiectum cuiuſcumque propoſitionis vel eſt terminus ſingularis, vel terminus communis; ſi terminus ſingularis, eſt propoſitio ſingularis; ſi ſubiectum eſt terminus communis, vel eſt aliquo ſigno affectus, vel nullo ſigno affectus, ſi nullo affici-

tur

tur signo, eſt propoſitio indefinita; ſi afficitur signo; vel signo demonſtratiuo, & tunc etiam eſt propoſitio singularis, vel signo particulari, & sic eſt propoſitio particularis: vel denique signo vniuerſali,& sic eſt propoſitio vniuerſalis: nec eſt alius modus inueniendi ſubiectum propoſitionis. Ergo adæquata eſt dicta diuisio ratione ſuæ quantitatis.

3 Aliqui exiſtimant, per hanc diuiſionem non diuidi nisi propoſitionem cathegoricam: quia iudicant propoſitiones hypotheticas non eſſe quantas: ſed infra oſtendemus, illas eſſe quantas, imò aliquas illas, vt copulatiuas & diſiunctiuas habere duplicem quantitatem, videlicet ſuarum cathegoricarum illas componentium, & quantitatem etiam copulæ aduerbialis coniungentis cathegoricas: quæ si sit diſiunctiua eſt particularis, si autem eſt copulatiua, eſt vniuerſalis. Vnde exiſtimo hac diuisione ratione quantitatis diuidi propoſitionem in communi vt à cathegorica abſtrahit, & hypothetica: licet exempla in eadem diuisione in cathegoricis aſſignentur, vt clarius in cathegoricis conſtent.

CA-

CAPVT X.

De materia propoſitionis, & diuiſione ipſius propoſitionis ratione materię.

Materia propoſitionis eſt habitudo prædicati ad ſubiectum. Vnde iuxta diuerſam habitudinem, quam dinerſa prædicata, ad diuerſa poſſunt dicere ſubiecta, triplex diſtinguitur propoſitionis materia: naturalis videlicet, contingens, & remota. Materia naturalis eſt, in qua prædicatum eſt de intrinſeca ratione ſubiecti: hoc eſt vel tanquam aliquid ei eſſentiale, vel tanquam eius paſſio, vt in his propoſitionibus, homo eſt animal, homo eſt riſibilis. Materia contingens eſt, quando prædicatum poteſt ſubiecto conuenire, & non conuenire præter illius corruptionem, vt in hac, homo eſt albus. Materia denique remota eſt, quando prædicatum repugnat ſubiecto, vt in hac, homo eſt lapis. Et ſufficit, quod prædicatum de facto non conueniat ſubiecto, nec poſſit illi naturaliter conuenire, vt propoſitio ſit in materia remota: nec requiritur quod etiam ſupernaturaliter non poſſit prædicatum conuenire ſubiecto. Vt hæc propoſitio, homo eſt Angelus; eſt nunc in materia remota, quia de

de facto prædicatum non competit ſubiecto, nec poteſt etiam illi naturaliter conuenire, licet ſupernaturaliter poſſit ei conuenire: quia poteſt Deus ſimul cum natura humana aſſumpta aſſumere naturam Angelicam & tunc iſta propoſitio, homo eſt Angelus, eſſet vera; imò & in materia naturali ſaltem ratione ſuppoſiti: quia idem eſſet tunc ſuppoſitum naturæ humanæ & Angelicæ. Vnde poteſt vna propoſitio tranſire de materia remota ad materiam naturalem, & de facto tranſiuit hæc propoſitio, Deus eſt homo, quæ ante incarnationem Verbi erat in materia remota, & poſt incarnationem eſt in materia naturali ratione ſuppoſiti. Vt docet D.Thom. quæſt.16. art.1. 3.partis.

2 Eſt autem aduertendum, quod materia propoſitionis ſolum attenditur pœnes habitudinem prædicati ad ſubiectum; ſiue propoſitio ſit affirmatiua, vel negatiua, vera, vel falſa, impoſſibilis, vel neceſſaria. Vt quia hæc extrema, homo & lapis, ſunt in materia remota; ſiue dicas, homo eſt lapis, ſiue homo non eſt lapis, vtraque propoſitio eſt in materia remota; quamuis affirmatiua ſit impoſſibilis, & negatiua neceſſaria: & quia hæc extrema, homo & animal, ſunt in materia naturali: iſtæ propoſitiones homo eſt animal, homo non eſt animal, ſunt in materia naturali, quamuis affirmatiua ſit neceſſaria, & negatiua impoſſibilis.

3 Ratione materiæ propoſitionis diui-

uiditur propoſitio in neceſſariam, contingentem, & impoſſibilem. Propoſitio neceſſaria, eſt quæ ſemper neceſſariò eſt vera. Contingens, quæ poteſt eſſe vera, & poteſt eſſe falſa: & impoſſibilis, quæ nunquam poteſt eſſe vera. Intelligitur autem in prædictis deſcriptionibus, non poſſe eſſe veram, aut non poſſe eſſe falſam naturaliter, & in ordine ad potentiam Dei ordinariam; quidquid ſit ſupernaturaliter, & in ordine ad potentiam Dei abſolutam: hæc enim propoſitio, homo eſt Angelus, modo eſt impoſſibilis, ſicut & modo eſt in materia remota: quia prædicatum de facto non competit ſubiecto, nec poteſt illi naturaliter conuenire, aut naturaliter talis propoſitio eſſe vera: licet ſupernaturaliter prædicatum poſſit conuenire ſubiecto, & verificari de illo.

4 Poteſt denique diuidi propoſitio (vt omnem illius diuiſionem abſoluamus) in propoſitionem identicam, & formalem. Identica eſt, in qua prædicatur idem de ſeipſo: ſiue cum aliqua materiali nominis variatione, ſiue abſque illa. Vt iſtæ ſunt identicæ, homo eſt homo, Petrus eſt Petrus, in quibus idem prædicatur de ſeipſo abſque etiam variatione nominis: & iſtæ etiam ſunt identicæ. Marcus eſt Tullius, enſis eſt gladius: quia idem prædicatur de ſeipſo per nomina ſinonima, quæ idem & eodem modo prorſus ſignificant cum materiali ſolum vocum variatione. Propoſitio autem formalis eſt,

in

in qua non prædicatur idem omnino de ſeipſo; ſed aliqua eſt diuerſitas & diſtinctio formalis, realis, vel virtualis inter ſubiectum & prædicatum: vt in his, homo eſt animal, homo eſt lapis. Propoſitio autem formalis, altera eſt directa, altera indirecta. Propoſitio directa eſt, in qua prædicatur forma de ſubiecto, vel quomodolibet ſuperius de inferiori, Vt iſte, Petrus eſt homo, Petrus eſt albus, homo eſt animal, album eſt coloratum. Propoſitio indirecta, eſt in qua prædicatur ſubiectum de forma, vel inferius de ſuperiori, vt iſtæ, homo eſt Petrus, album eſt homo, animal eſt homo, coloratum eſt album.

CAPVT XI.

De propoſitione hypothetica, eiuſque diuiſione.

EXplicatis iam diuiſionibus propoſitionis in communi, oportet reuertere ad alterum, quod in hunc locum remiſimus membrum primæ diuiſionis, ad propoſitionem videlicet hypotheticam, quæ eſt propoſitio habens duas cathegoricas coniunctas tanquam partes principales ſui: in quo diſtinguitur à propoſitione cathegorica, quia licet conueniat cum illa; in hoc quod eſt poſſe habe-

re ſubiectum copulam & prædicatum; non habet illa vt partes principales & proximas, ſed vt partes minus principales & remotas; & partes principales propoſitionis hypotheticæ ſunt ipſæ cathegoricæ, ex quibus immediate componitur. In hac tamen propoſitionis hypotheticæ definitione debet intelligi, quod habeat duas, id eſt, plures cathegoricas coniunctas: non enim eſt neceſſarium, quod partes illius tantum ſint duæ, ſed poſſunt eſſe plures. Nec ſufficit quod partes propoſitionis hypotheticæ ſint cathegoricæ propoſitiones, hypotheticæ, vel complexa propoſitionalia, vt hæc hypothetica: Petrus diſputat, & Ioannes loquitur, componitur ex duabus cathegoricis; & hæc hypothetica, ſi Sol lucet dies eſt, & ſi Sol non lucet, dies non eſt: eſt vna copulatiua compoſita, non ex duabus cathegoricis, ſed ex duabus propoſitionibus hypotheticis, ſcilicet ex duabus conditionalibus. Et denique hæc hypothetica coditionalis, ſi diſputares eſſes doctus, non componitur ex aliquibus propoſitionibus, ſed ex duabus orationibus, quæ non ſunt propoſitiones, ſed complexa propoſitionalia. Sic eſt intelligenda prædicta definitio propoſitionis hypotheticæ.

2 Per id autem quod in illa dicitur quod propoſitio hypothetica debet habere duas propoſitiones coniunctas, denotatur quod propoſitiones; ſiue complexa propoſitionalia debent in illa eſſe aliqua

coiun-

coniunctione coniuncta, aliàs propoſitiones non efficient hypotheticam. Vt iſtæ, Petrus diſputat, Ioannes loquitur, quia nulla coniunctione copulantur, non efficiunt propoſitionem hypotheticam: ſed manent diuerſæ & diſparatæ. Hac etiam ratione propoſitio æquiuoca, vt hæc, canis eſt ſubſtantia, non eſt propoſitio hypothetica, quià licet ſubordinetur pluribus propoſitionibus mentalibus, iſtis videlicet, canis latrabilis eſt ſubſtantia, canis marinus eſt ſubſtantia; tales propoſitiones mentales non ſunt inter ſe coniunctæ, nec aliquem dicentes ordinem, vel habitudinem vnius ad alteram, ſed omnino diuerſæ & diſparatæ: vnde nec tales mentales vnam efficiunt propoſitionem hypotheticam, nec vocalis ei ſubordinata eſt hypothetica.

3 Obiicies aduerſus definitionem propoſitionis hypotheticæ; quod hæc propoſitio, Petrus diſputat, vel Ioannes loquitur, eſt hypothetica, vtpote propoſitio diſiunctiua, quæ eſt vna (vt ſtatim videbimus) ex ſpeciebus propoſitionis hypotheticæ, Et tamen non habet duas cathegoricas coniunctas. Ergo prædicta definitio non eſt bona. Minor probatur: nam propoſitiones cathegoricæ, quæ ad prædictam hypotheticam concurrunt, non ſunt coniunctæ, ſed potius diſiunctæ & ſeparatæ per illam particulam *vel*, quæ cum ſit diſiunctiua non poteſt coniungere, ſed potius diſiungere & ſeparare.

Re-

Reſpondetur negando minorem, & ad probationem dico: quod licet particula *vel* diſiungat, & diuidat ſenſum propoſitionum, denotans eſſe vnum, vel alterum eorum, quæ in propoſitionibus enunciantur; coniungit tamen ipſas propoſitiones, vt non maneant omnino diuerſæ & diſparatæ, ſed cum ordine & habitudine compartis eiuſdem propoſitionis totalis hypotheticæ. Differtque copula diſiunctiua à particula copulatiua, quod hæc, non ſolum coniungit propoſitiones, inter quas mediat, ſed coniungit etiam ſenſum propoſitionum, denotans & ſignificans, quod vtrumque quod per propoſitiones, quas copulat, enuntiatur, ita ſimul eſt; ſicut per illas affirmatur, vel negatur.

4 Diuiditur autem propoſitio hypothetica in conditionalem, copulatiuam, & diſiunctiuam. Cuius diuiſionis ſpecies ſingulas (ne eadem inutiliter repetamus) ſeorſum in ſequentibus capitulis explicabimus.

C A-

CAPVT XII.

De conditionali, & illius diuiſione.

§. I.

Quid ſit conditionalis, & eius diuerſa acceptio.

Conditionalis propoſitio eſt prima ſpecies, ad illamque præcipuè illatiue ſumptam reducitur propoſitio cauſalis, & rationalis: vtpote quæ conueniunt cum illa in eo quod omnes important bonitatem conſequentiæ, licet in in alijs à conditionali differant. Vnde etiam aliquid de propoſitione cauſali & rationali in hoc capite dicemus. Conditionalis eſt, in qua coniunguntur duæ cathegoricæ per particulam *ſi*, vt hæc, ſi homo diſputat, homo loquitur. Cauſalis vero propoſitio eſt, in qua coniunguntur duæ cathegoricæ per particulam *quia*: vt hæc, quia homo eſt rationalis, homo eſt riſibilis. Rationalis vero propoſitio eſt, in qua coniunguntur duæ cathegoricæ per particulam *ergo*, vel *igitur*. Et intelliguntur prædictæ definitiones (ſicut in definitione propoſitionis hypotheticæ expli-

cui-

cimus) quod coniunguntur per prædictas particulas duæ, vel plures cathegoricæ, duæ vel plures hypotheticæ, aut duo, vel plura complexa propoſitionalia.

2 In propoſitione conditionali, cauſali, & rationali ex propoſitionibus, quibus conſtant, altera eſt antecedens, altera vero conſequens. In conditionali autem, vel cauſali, illa propoſitio eſt antecedens, cui immediate præponitur particula *ſi* vel *quia*, ſiue talis propoſitio prior, vel poſterior in conditionali, vel cauſali collocetur: vt in his propoſitionibus, ſi homo diſputat, homo loquitur: quia homo eſt rationalis, homo eſt riſibilis: prima propoſitio eſt antecedens, quia illi immediate præponitur particula conditionalis, vel cauſalis. In his autem propoſitionibus, homo diſputat, ſi loquitur, homo eſt riſibilis, quia eſt rationalis: ſecunda propoſitio licet in poſteriori loco hypotheticæ collocetur, habet rationem antecedentis: quia illi immediate præponitur particula cauſalis, & conditionalis. In propoſitione autem rationali, illa vel illæ propoſitiones habent rationem antecedentis, poſt quas immediate ponitur particula *ergo*, vel *igitur*, vt in hac rationali, homo diſputat, ergo homo loquitur, prima propoſitio, quia ad illam immediate ſequitur particula *ergo*, habet rationem antecedentis.

3 Particula *ſi* æquiuoca eſt, duplicemque habet acceptionem & ſignificationem.

Ali-

Aliquando enim accipitur illatiuè, & tunc ſignificat & denotat, quod inter propoſitiones, quas coniungit, eſt illatio, & per bonam conſequentiam vna ſequitur ex alia: vt ſi dicas, ſi Sol lucet dies eſt. Eſt enim idem ac dicere, bene ſequitur & infertur, ex eo quod Sol luceat, quod dies eſt. Aliquando autem particula *ſi* ſumitur non illatiue ſed concomitanter: & tunc denotat & ſignificat, non quod vnũ ſequatur ex alio per illationem & bonam conſequentiam, ſed concomitantiam vnius cum alio: vt in hac propoſitione: ſi Petrus currit, Ioannes loquitur, non ſignificatur illatio inter curſum Petri, & loquelam Ioannis; & in hac, ſi aſcenderis in Ceilam tradent te, non ſignificatur illatio per bonam conſequentiam inter aſcẽſum Dauidis in Ceilam, & traditionem illius à Ceilitis (alias cum non ſit in prædictis propoſitionibus talis illatio, illæ & aliæ ſimiles propoſitiones, quæ vt veræ in ſcriptura proferuntur, eſſent falſæ.) Sumitur igitur in illis particula *ſi* non illatiue, ſed concomitanter, & vt ſignificat & denotat concomitantiam vnius cum alio. Ex hac igitur diſtinctione diuiditur propoſitio conditionalis in conditionalem illatiuam (quæ ſola dicitur propoſitio conditionalis) & in conditionalem concomitantem (quæ potius conditionata dicitur quam conditionalis) & de vtraque ſeorſum (quia vtriuſque cognitio propria eſt Dialectici, & ad materias

Theologicas plurimum conducit) in hoc capite eſt agendum.

§. II.

De conditionali illatiua.

4 AD veritatem propoſitionis conditionalis illatiuè ſumptæ (quam diximus propriè eſſe conditionalem, & ad quã ſolum reducitur propoſitio cauſalis, & rationalis, vtpote quæ ſicut illa importat bonitatem conſequentię) ſi ſit affirmatiua, ſufficit, & requiritur, quod ſit bona cõſequentia: ſiue illius antecedens & cõſequens ſit verum ſiue falſum, ſiue contingens, vel neceſſarium, vel impoſſibile. Vt hæc conditionalis eſt vera, ſi homo volat habet alas, quamuis vtraque eius pars ſit impoſſibilis: quia inter antecedens & cõſequens eſt bona conſequentia, & conditionalis nihil ponit in eſſe: hoc eſt, non aſſerit, quod antecedens & conſequens ita ſint; ſed quod ſi vnum eſt, & alterum ſit: ſiue quod vnum ſequatur ex alio. Ad falſitatem autem conditionalis affirmatiuæ ſufficit & requiritur, quod ſit mala conſequentia, ſiue antecedens & conſequens ſit verum, ſiue falſum: ſicut hæc eſt falſa conditionalis, ſi homo eſt riſibilis, lapis eſt ſubſtantia, quia eſt mala cõſequentia, quãuis antecedens & conſequens non ſolum ſit verum, ſed neceſſarium. Similiter ad veritatem conditionalis negatiuæ ſufficit

&

& requiritur, quod ſit mala conſequentia, vt hæc eſt vera conditionalis, non ſi homo eſt animal, lapis eſt ſubſtantia, quia eſt idem ac dicere, non bene ſequitur lapidē eſſe ſubſtantiam ex eo quod homo ſit animal. Ad falſitatem denique conditionalis negatiuæ ſufficit & requiritur, quod ſit bona conſequentia: vt hæc eſt falſa cōditionalis: non ſi homo volat, habet alas, quia per illam denotatur quod talis conſequētia non ſit bona, & re vera eſt bona.

5 Hinc eſt quod cum conſequentia, quę ſemel eſt bona, ſemper ſit bona, & nunquā poſſit eſſe mala: & conſequentia, quæ ſemel eſt mala ſemper ſit mala & nunquam poſſit eſſe bona; cum veritas (vt diximus) & falſitas conditionalis illatiuæ à malitia vel bonitate conſequentiæ deſumatur: cōditionalis, quæ ſemel eſt vera, ſemper eſt vera, & nunquam poteſt eſſe falſa: & conditionalis, quæ ſemel eſt falſa, ſemper eſt falſa, & nunquam poteſt eſſe vera. Vnde nulla datur conditionalis illatiua contingens, ſed omnis illa vel eſt impoſſibilis vel neceſſaria. Hincque pro Theologis inſinuamus, quod conditionalis illatiua ad ſcientiam Dei pertinet neceſſariam, ſicut ad illam pertinet cognoſcere omnes propoſitiones non contingentes.

6 Ad veritatem propoſitionis rationalis exigitur etiam bonitas conſequentiæ & inſuper quod antecedens ſit verum: & quia in bona conſequentia non poteſt eſſe antecedens verum & conſequens falſum,

requiritur etiã perinde,quod cõſequens illius ſit verũ. Vnde hęc rationalis,homo eſt lapis, ergo homo eſt ſubſtantia, eſt falſa: quia licet cõſequentia ſit bona; antecedés illius nõ eſt verũ. Ad veritatẽ autem cauſalis affirmatiuæ requiritur quod ſit bona conſequentia & antecedens ſit verum, & inſuper antecedens ſit cauſa conſequentis: & quodlibet horum deficiat; cauſalis affirmatiua eſt falſa. Et ad veritatem negatiuæ cauſalis ſufficit, quod ſit mala conſequentia, vel quod antecedens illius non ſit verum, vel quod antecedens non ſit cauſa conſequentis. Vnde vt in capite de argumentatione inſinuauimus, à cauſali affirmatiua ad rationalem vel conditionalem eorundem terminorum: & à rationali ad conditionalem eſt bona conſequentia, non autem eſt bona à conditionali ad rationalem vel cauſalem, nec à rationali ad cauſalem: vt omnia hæc exemplis facile conſtabunt.

§ III.

De locis arguendi in conditionalibus illatiuis.

7 TRiplex eſt locus arguendi in conditionalibus illatiuis affirmatiuis: affirmatiuis inquã, hoc eſt in illis in quibus particula *ſi* affirmatur. Nam (vt dicemus cap.15.ſequenti) affirmatio, vel negatio

tio conditionalis ſolum attenditur penes affirmationem particulæ conditionalis *ſi*; ſiue antecedens, & conſequens ſit affirmatum ſiue negatum. Primus igitur locus arguendi eſt: à conditionali cum poſitione antecedentis, ad poſitionem conſequentis. Ponere autem antecedẽs, eſt aſtruere illud eodem modo affirmatum vel negatũ ſicut erat in conditionali. Vt bene valet, ſi Sol lucet: dies eſt: ſed Sol lucet: ergo dies eſt. Et ſimiliter bene valet: si Petrus non eſt coloratus; Petrus non eſt albus; ſed Petrus non eſt coloratus: ergo Petrus nõ eſt albus. Quia in bona conſequentia si antecedens eſt verum cõſequens debet eſſe verum. Et cum per conditionalem aſſeratur conſequentiam eſſe bonam, & per poſitionem antecedentis dicatur antecedens talis conditionalis eſſe verum; euidenter ſequitur poſitio conſequentis quod eſt dicere ipſum conſequens eſſe verum. A cõditionali tamen cum poſitione conſequẽtis ad poſitionem antecedentis nõ eſt bona conſequentia. Vt hæc non valet, si homo diſputat homo loquitur, ſed homo loquitur, ergo homo diſputat: quia cum in bona conſequentia poſſit conſequens eſſe verum, & antecedens falſum: poteſt conditionalis eſſe bona conſequentia, ac perinde ipſa conditionalis vera, & eius conſequens etiam verum; & nihilominus antecedens illius conditionalis eſſe falſum.

8 Secundus locus arguendi eſt; à conditionali, cum deſtructione conſequentis

ſequentis ad deſtructionem antecedentis. Deſtruere autem antecedens vel conſequens, eſt ponere contradictorium illius. Vt bene valet, ſi Petrus currit; Petrus mouetur: ſed Petrus non mouetur: ergo Petrus non currit, & similiter bene valet, si Petrus non eſt coloratus, Petrus non eſt albus: ſed Petrus eſt albus, ergo Petrus eſt coloratus. Non tamen valet conſequentia à conditionali cum deſtructione antecedentis ad deſtructionem cõſequentis. Vt hæc non valet. Si Petrus currit Petrus mouetur: ſed Petrus non currit: ergo Petrus non mouetur. Nec iſta valet, si Petrus non eſt coloratus Petrus non eſt albus; ſed Petrus eſt coloratus: ergo Petrus eſt albus. Maior enim & minor erit vera & conſequens falſum, in caſu quod Petrus sit niger, ratio eſt, quia in bona conſequentia poteſt antecedens eſſe falſum & cõſequens verum.

9 Tertius locus arguendi, eſt à conditionali ad diſiunctiuam conſtantem ex conſequente & contradictorio antecedẽtis. Vt bene valet, si Petrus currit Petrus mouetur: ergo Petrus mouetur, vel Petrus non currit; & bene valet, si homo currit homo mouetur; ergo homo mouetur vel nullus homo currit, ac denique bene valet, si Petrus non eſt coloratus, Petrus non eſt albus, ergo Petrus non eſt albus, vel Petrus eſt coloratus.

§. IV.

§. IV.

De conditionatis non illatiuis.

10 IN propoſitionibus conditionalibus, (ſeu potius dicam) conditionatis, in quibus ly *ſi* non ſumitur illatiuè, ſed concomitanter; vt in hac, si Petrus cucurrerit, Ioannes loquetur: particula *ſi* ſolum denotat concomitantiam, & ſimul exiſtentiam vel futuritionem (si ſint de futuro) antecedẽtis cum ſequenti. Vnde ad veritatem illarum non requiritur, quod ſit bona conſequentia ex antecedẽti ad conſequens; ſed ſufficit & requiritur, quod non ponatur antecedens, quin ponatur conſequens, & ſit coniunctio & concomitantia de præſenti vel de futuro antecedentis cum conſequenti, ſicuti per ipſam conditionatam ſignificatur. Et quia inter antecedens & conſequens poteſt eſſe vel coniunctio & concomitantia neceſſaria, vt inter eſſe hominem & eſſe animal, vt si dicas, si Petrus eſt homo, Petrus eſt animal, etiam ly si non illatiuè, ſed concomitanter accepto, propoſitio conditionata eſt neceſſaria: vel poteſt eſſe inter antecedens & conſequens impoſſibilis coniunctio, & concomitantia: vt inter eſſe hominem et eſſe lapidẽ, aut inter currere, et non mouere, si dicas, si Petrus eſt homo, Petrus eſt lapis; aut si dicas, si Pe-

trus currit, Petrus non mouetur: etiam ly *ſi* non illatiue, ſed cõcomitanter accepto, vtraque talis propoſitio conditionata eſt impoſſibilis: vel denique, quia inter antecedens et conſequens poteſt eſſe coniunctio et concomitantia contingens vt inter hoc quod eſt Ioannem currere et Petrum diſputare, si dicas, v. g. si Petrus cucurrerit, Ioannes diſputabit, ly *ſi* nõ illatiue ſed concomitanter accepto, talis propoſitio eſt contingens, poteritque eſſe vera vel falſa. Hinc pro Theologis insinuatur quod licet, (vt §. 2. notauimus) omnis propoſitio conditionalis illatiua ad ſcientiã Dei naturalem ſeu neceſſariam et ſimplicis intelligentiæ pertineat; ex propoſitionibus tamen conditionatis, in quibus ly *ſi* concomitanter accipitur, propoſitiones in quibus eſt impoſſibilis, vel neceſſaria coniunctio antecedentis cum conſequenti; ad ſcientiam Dei pertinent neceſſariam, ſeu ſimplicis intelligentiæ: propoſitiones vero, in quibus ſolum eſt coniunctio contingens antecedentis cum conſequenti, ad ſcientiam Dei liberam pertinent: nec poſſunt ab illo certo, et infallibiliter cognoſci, nisi in libero decreto ex parte obiecti conditionato ad ipſas terminato. Hæc autem nullatenus pro Dialecticis dicimus, ſed ſolum pro Theologis, insinuamus: vt ſciant in Dialectica ad veritates Theologicas iacere fundamenta.

§. V.

§. V.

Diuiſio propoſitionis conditionatæ in promiſſiuam, & aſſertiuam.

11 PRopoſitio autem cõditionata, vbi ly *ſi* non illatiue, ſed concomitanter (vt explicuimus) accipitur, altera eſt aſſertiua, altera vero promiſſiua. Aſſertiua eſt, in qua nihil, nec ſub conditione, promittitur, ſed ſolum conditionaliter aſſeritur coniunctio vnius cum alio, vt ſi dicas, ſi Petrus curremit, Ioannes loquetur. De qua nihil amplius reſtat dicere ſupra id quod paragrapho diximus precedenti. Conditionata autem promiſſiua eſt, in qua non abſolute, ſed ſub conditione aliqua aliquid promittitur: vt iſta, ſi viceris prælium, dabo tibi Regnũ. In qua duplex veritas poteſt attendi. Prima quod ita ſit in intentione promittentis cũ promittit, ſicut per talem propoſitionẽ ſignificatur. Secunda quod poſita conditione, ponatur & impletio promiſſi. Vnde ſi quis proferens talem propoſitionem conditionatam promiſſiuam, habet tunc intentionem adimplendi, poſita conditione, promiſſum, propoſitio ſuam primam habet veritatem, etiam ſi poſtea, in re poſita conditione, non impleatur promiſſum: ſi autem cum profert propoſitionẽ, promittens

tens non habet intentionem adimplendi, poſita conditione, promiſſum; illi propoſitioni conditionali promiſſiuæ ſua prima deficit veritas: ſi autem quãdo ponitur in re conditio, adimpletur de facto promiſſum; propoſitio conditionalis promiſſiua habet ſecundã ſuam veritatẽ, & nõ habet illam, ſi poſita in re conditione, de facto non impletur promiſſum. Et hæc ſunt ex nunc notãda pro his, quę Theologus debet ſcire circa iuramentum promiſſorium.

12 Aliqui in hoc loco differunt de cõditionatis, in quibus particula ſi illatiue, vel cõcomitanter accepta ſumitur conditionatim, id eſt, cum mediat inter terminos. *Vt ſi dicas*, animal ſi eſt homo, eſt riſibile; ſed huiuſmodi propoſitiones (præterquam quod ſunt incongruæ) ad conditionales, quibus æquiualent reducuntur, vt prædicta propoſitio ad iſtam, ſi animal eſt homo, eſt riſibile. Vnde nihil ſpeciale de illis, ac de conditionalibus illatiuis, & non illatiuis eſt dicendum, ſed per ea ſunt regulandæ.

CAPVT XIII.

De copulatiuis.

SEcunda ſpecies hypotheticæ eſt propoſitio copulatiua, quæ videlicet habet duas cathegoricas coniunctas per par-

particulam *&*. Intelligitur autẽ definitio ſicut de alijs hypotheticis diximus, quod habeat duas vel plures cathegoricas, aut duasvel plures hypotheticas coniũctas per particulam & vel per aliam ſimilem particulam, copulatiuam, vt eſt ly *ſed*, & ly *nec*, ſiue formaliter ponatur ſiue virtualiter ſub intelligatur: vt cum breuitatis cauſa, facimus hunc ſyllogiſmum, omnis homo eſt animal, Petrus eſt homo, ergo Petrus eſt animal, licet formaliter inter maiorem & minorem non ponatur particula copulatiua, & vel *ſed* vtramq; præmiſſam coniungens, ſubintelligitur tamen, & facit ex illis copulatiuam.

2. Ad veritatem propoſitionis copulatiuæ requiritur, quod omnes illius partes ſint veræ; & ad falſitatẽ ſufficit, quod aliqua pars ſit falſa. Quod quidem intelligitur de partibus, quæ ſunt principales & proximæ propoſitiones copulatiuæ; nõ autem de partibus remotis, & minus principalibus illius: vt hæc copulatiua eſt vera; ſi homo volat, habet alas, & ſi homo eſt lapis, eſt inſenſibilis: quia vtraq; pars immediata talis copulatiuæ, ſcilicet vtraque conditionalis eſt vera; licet partes remotę talis copulatiuæ, ſcilicet propoſitiones ex quibus componitur vtraq; conditionalis, ſint falſæ. Et ſimiliter iſta copulatiua eſt vera, homo eſt animal, vel homo eſt lapis, & homo eſt riſibilis, vel homo hinnibilis: quia partes immediatæ talis copulatiuæ, ſcilicet vtraque diſiunctiua, ſunt veræ;

quamuis ſecunda pars vtriuſque diſiunctiuæ (quæ ſolũ eſt pars remota copulatiuæ) ſit falſa. Ad neceſſitatem autem propoſitionis copulatiuæ requiritur, quod omnes eius partes ſint neceſſariæ. Ad impoſſibilitatem autem copulatiuæ ſufficit, quod aliqua eius pars ſit impoſſibilis, aut aliquæ eius partes ſint inter ſe incompoſſibiles: vt hæc copulatiua, Petrus diſputat, & Petrus non diſputat, eſt impoſsibilis: quia licet vtraq; eius pars abſolute ſit poſsibilis; eſt tamen vna cum altera incompoſsibilis. Ad contingentiam autem propoſitionis copulatiuæ ſufficit, quod aliqua eius pars ſit contingens dummodo nullæ illius partes ſint inter ſe incompoſsibiles, nec aliqua illius pars ſit impoſsibilis.

3 Vnicus in copulatiuis eſt locus arguendi, ſcilicet à tota copulatiua ad quãlibet determinate eius partem, eſt bona conſequentia: non tamen à parte copulatiuæ ad totam copulatiuam: vt facile vtrumque exemplificatur.

CAPVT XIV.

De diſiunctiuis.

Vltima hypotheticæ ſpecies eſt propoſitio diſiunctiua, illa videlicet, quæ habet duas cathegoricas cõiunctas per particulam *vel*. Et intelligitur definitio proportionabiliter ad defini-

tio-

tionem copulatiuæ quod diſiũctiua debet habere duas vel plures cathegoricas, vel duas aut plures hypotheticas coniunctas per particulam *vel*. Vel per aliam particulam æquiualentem diſiunctiuam, vt per particulam *ſiue*, vel *aut*.

2 Ad veritatem diſiunctiuæ ſufficit quod vna eius pars ſit vera. Ad falſitatem autem requiritur, quod omnes eius partes ſint falſæ. Et intelligitur (ſicut de copulatiuis diximus) de partibus principalibus & immediatis propoſitionis diſiunctiuæ; non autem de partibus minus principalibus & remotis illius. Ad neceſsitatẽ autem propoſitionis disiunctiuæ ſufficit, quod aliqua eius pars sit neceſſaria, vel aliquæ partes illius inter ſe sint incompoſsibiles. Hæc enim disiunctiua eſt neceſſaria, Petrus diſputat, vel Petrus non diſputat: quia licet neutra illius pars ſit abſolute neceſſaria, vtraque tamen eſt inter ſe incompoſsibilis. Ad impoſsibilitatem autem disiunctiuæ requiritur quod omnes illius partes sint impoſsibiles. Ad contingentiam denique disiunctiuæ ſufficit, quod aliqua illius pars ſit contingens, dũmodo nullæ illius partes ſint inter ſe incompoſsibiles. Tunc enim (vt diximus) propoſitio disiunctiua erit propoſitio neceſſaria.

3 Duplex locus arguendi eſt in disiũctiuis. Primus à parte disiunctiuæ ad totam disiunctiuam eſt bona conſequentia; non vero à tota disiunctiua ad partem. Vt

bene valet. Petrus eſt homo, ergo Petrus eſt homo, vel Petrus eſt lapis: non autem valet, Petrus eſt homo vel Petrus eſt albus, ergo Petrus eſt albus. Secundus, à tota disiunctiua cum deſtructione vnius partis ad poſitionem alterius, eſt bona conſequentia. si disiunctiua duas ſolum habeat partes: alias si plures partes habeat vt valeat conſequentia, debet argumentari à disiunctiua cum deſtructione omnium partium præter vnam ad poſitionem illius partis teſtantis: Iam diximus capit. 13. §. 4. quid ſit poſitio & deſtructio alicuius propoſitionis. Exemplũ huius loci arguendi eſt hæc conſequentia, Petrus diſputat, vel Petrus currit: ſed Petrus non diſputat, ergo Petrus non currit. Et similiter in iſta, Petrus non diſputat, vel Petrus nõ currit: ſed Petrus diſputat, ergo Petrus non currit.

4 Quia autem copulatiua vtpote, cuius particula, *&*, eſt vniuerſalis comparatur ad disiunctiuam, cuius particula, *vel*, eſt particularis, vt propoſitio vniuerſalis ad particularem: & si conſtiterit eiſdem terminis, vt ſubalternans ad ſubalernatam, a copulatiua ad disiunctiuam eorundem terminorum eſt bona conſequentia, non vero è contra.

C A-

CAPVT XV.

De qualitate & quantitate propoſitionis hypotheticæ.

§. I.

De qualitate conditionalis & cauſalis.

EXplicatis iam ſpeciebus propoſitionis hypotheticæ, facilius poterunt intelligi quæ de earum qualitate, & quantitate in iſto & ſequenti capite ſunt dicenda. Et licet aliqui exiſtiment, qualitatem, id eſt, affirmationem, & negationem cuiuſcumque propoſitionis hypotheticæ, ex ſola affirmatione, vel negatione copulæ principalis hypotheticæ, illius videlicet, per quam cathegoricæ coniunguntur; eſſe deſumendam, nulla habita ratione ad affirmationem & negationem copulæ cathegoricarum, ex quibus hypothetica componitur: ſub diſtinctione tamen in hac parte eſt loquendum, aliterque de conditionalibus & de cauſalibus, ac de copulatiuis & diſiunctiuis quantum ad earum qualitatem eſt aſſerendum. Vnde relicta propoſitione rationali quæ potius eſt diſcurſus quam propo-

ſitio, nec proprie dicitur affirmatiua, vel negatiua, in hoc §. de qualitate propoſitionis conditionalis & cauſalis dicemus. In ſequenti autem de qualitate propoſitionis copulatiuæ, & diſiunctiuæ.

2 Qualitas igitur, id eſt, affirmatio & negatio propoſitionis cōditionalis & cauſalis, ſolum pœnes affirmationem, vel negationem copulæ aduerbialis hypotheticę conditionalis, vel cauſalis eſt attendenda: ita vt ſi hæc fuerit negata, ſiue propoſitiones quas coniungit ſint affirmatiuæ vel negatiuæ, ſiue altera affirmatiua, & altera negatiua: propoſitio conditionalis vel cauſalis erit negatiua: & ſi copula cauſalis, vel conditionalis non fuerit negata; propoſitio conditionalis, vel cauſalis erit affirmatiua, ſiue partes illius, ſcilicet propoſitiones ex quibus componitur, ſint affirmatæ, ſiue negatæ. Vt iſtæ hypotheticæ ſunt affirmatiuæ: ſi homo diſputat, homo loquitur, ſi homo non diſputat, homo non loquitur; quia in neutra propoſitione copula *ſi* negatur; quamuis altera habeat propoſitiones cathegoricas, quibus componitur, negatiuas. Et ſimiliter iſtæ cauſales ſunt affirmatiuæ: quia homo eſt rationalis, homo eſt riſibilis: quia homo non eſt irrationalis, non eſt hinnibilis; quia in vtraque particula cauſalis affirmatur & non negatur. Iſtæ autem conditionales ſunt negatiuæ, non ſi homo loquitur, homo diſputat: non ſi homo non diſputat, homo non loquitur, quia in vtraque

que copula conditionalis negatur. Et ſimiliter iſtæ cauſales ſunt negatiuæ, non quia homo eſt riſibilis eſt rationalis, non quia homo non eſt rationalis, non eſt riſibilis: quia in vtraque copula cauſalis negatur. Hoc totum *probatur*, quia cum conditionalis enunciet bonitatem conſequentiæ, & cauſalis cauſalitatem antecedentis ad conſequens; ſi *particula ſi*, vel *quia* affirmatur, tota conditionalis facit ſenſum affirmatiuum: quia eſt idem, ac dicere, bene ſequitur hoc conſequens ex hoc antecedenti. Et ſi *particula ſi* negatur tota conditionalis facit ſenſum negatiuum: quia eſt idem ac dicere, non bene ſequitur hoc conſequens ex antecedenti. Et ſimiliter in cauſali, ſi particula cauſalis affirmatur; tota cauſalis facit ſenſum affirmatiuum: quia eſt idem ac dicere, quod antecedens eſt cauſa conſequentis: & ſi particula negatur, tota cauſalis facit ſenſum negatiuum: quia eſt idem ac dicere, quod antecedens non eſt cauſa conſequentis.

3 Hinc ſequitur (& eſt etiam argumentum à poſteriori eorum, quæ diximus) quod in contradictorijs cauſalibus vel cõditionalibus non debet mutari qualitas propoſitionum cathegoricarum eas componentium, ſed ſolum qualitas particulæ cauſalis, vel conditionalis, pœnes quas (vt diximus) qualitas attenditur propoſitionis cauſalis vel conditionalis. Vnde iſtæ ſunt contradictoriæ, ſi Petrus diſputat, Petrus loquitur, non ſi Petrus diſputat,

tat, Petrus loquitur. Et etiam iſtæ, quia Petrus eſt rationalis, Petrus eſt riſibilis; non quia Petrus eſt rationalis, Petrus eſt riſibilis: quamuis non mutetur in illis qualitas cathegoricarum, ſed in omnibus maneant cathegoricæ affirmatiuæ.

§. II.

De qualitate copulatiuæ & diſiunctiuæ.

4 QValitas autem, id eſt, affirmatio & negatio propoſitionis copulatiuæ & diſiunctiuę pœnes affirmationem & negationem propoſitionum illas componentium, deſumitur. Vnde ſi omnes propoſitiones componentes aliquam propoſitionem copulatiuam vel diſiunctiuam ſunt affirmatiuæ; copulatiua ipſa vel diſiunctiua erit affirmatiua: & ſi omnes propoſitiones componentes copulatiuam vel diſiunctiuam ſunt negatiuæ; copulatiua ipſa & diſiunctiua erit negatiua, etiam ſi copula aduerbialis *&*, aut *vel*, non afficiatur negatione (præter quam quod non poteſt congrue negatione affici) vnde iſta hypothetica eſt affirmatiua, aliquis homo currit, vel aliquis homo loquitur. Et iſta eſt negatiua, nullus homo currit, & nullus homo loquitur; quia vtraque propoſitio cathegorica componens diſiunctiuam, eſt

af-

affirmatiua; & vtraque propoſitio componens copulatiuam, eſt negatiua. Quod manifeſte conſtat. Primò, quia illa diſiunctiua exigit ad ſui veritatem ſuppoſitionem extremorum, & illa copulatiua poteſt verificari per non ſuppoſitionem extremorum. Ergo talis diſiunctiua eſt affirmatiua, & copulatiua negatiua: ſiquidem diſiunctiua habet eam proprietatem affirmatiuæ, & copulatiua, negatiuæ. Secundo, quia illæ duæ propoſitiones ſunt proculdubio contradictoriæ, & pugnant veritate & falſitate, & certum eſt, quod vna ex illis; ſcilicet diſiunctiua eſt affirmatiua: ſiquidem nulla eſt prorſus in illa negatio afficiens copulam aduerbialum *vel*, aut afficiens copulas verbales cathegoricarum. Ergo propoſitio copulatiua eſt negatiua. Quia ex duabus contradictorijs altera debet eſſe negatiua. Et tamen in tali copulatiua ſolum negantur copulæ verbales cathegoricarum, non autem afficitur negatione copula aduerbialis *&*. Ergo vt propoſitio copulatiua ſit negatiua, ſufficit, quod omnes propoſitiones illam componentes ſint negatiuæ.

5 Si autem aliqua propoſitio ex componentibus propoſitionem copulatiuam, vel diſiunctiuam ſit affirmatiua, & alia negatiua: tunc tales propoſitiones hypotheticæ erunt formaliter mixtæ qualitatis. Et diſiunctiua erit virtualiter negatiua, copulatiua autem virtualiter affirmatiua propter eandem rationem, qua ſupra

cap.

cap.8. inſinuauimus, propoſitionem cathegoricam formaliter mixtæ qualitatis, ſi ſit diſiuncta, eſſe virtualiter negatiuam, & ſi ſit copulata, eſſe virtualiter affirmatiuam.

§. III.

De quantitate hypothetica.

6 Aliqui exiſtimant propoſitiones hypotheticas non eſſe quantas: verum tamen cum diſtinctione loquendum eſt, aliterque de conditionalibus & cauſalibus, ac de copulatiuis & diſiunctiuis eſt dicendum. Conditionalis igitur & cauſalis, non ſunt quantæ, ſed ſupponunt, quaſi immobiliter, & omnis conditionalis & cauſalis eſt quaſi propoſitio ſingularis. Cuius ſignum eſt, quod in contradictorijs conditionalibus & cauſalibus non debet mutari aliqua quantitas totius cauſalis, aut conditionalis, nec cathegoricarum illas componentium. Ergo ſupponunt immobiliter & quaſi ſingulariter. In contradictorijs enim, quæ ex aliqua parte ſunt quantæ, ideſt, vniuerſales, vel particulares, re vera debet mutari quantitas: ita vt omnis vniuerſalitas vnius mutetur in particularitatē alterius, & è contra particularitas in vniuerſalitatem. Quod autem diximus, quod in contradictorijs conditionalibus, vel cauſalibus non debet mu-

mutari quantitas, patet nam iſtæ ſunt contradictoriæ: Si homo diſputat, homo loquitur, non ſi homo diſputat, homo loquitur: & ſimiliter, quia homo eſt animal, eſt rationalis, non quia homo eſt animal, eſt rationalis. Et in illis (vt conſtat) nulla mutatur quantitas.

7 De copulatiuis autem & disiunctiuis eſt dicendum quod non ſolum ſunt quantæ, ſed duplicem habent quantitatem, quantitatem videlicet propoſitionum eas componentium, & quantitatem copulæ aduerbialis copulatiuæ, vel diſiunctiuæ. Copulatiua eſt vniuerſalis, diſiunctiua verò particularis. Quod vnico hoc conuincitur argumento: nam ſi copulatiuæ & diſiunctiuæ propoſitiones non eſſent quantæ, in contradictorijs copulatiuis, & diſiunctiuis non deberet mutari aliqua quantitas, ſicut ea ratione (vt diximus) non debet mutari in contradictorijs conditionalibus, & cauſalibus, ſed vere contradictorijs copulatiuis & diſiunctiuis debet mutari tam quantitas aduerbialis copulæ diſiunctiuæ vel copulatiuæ, quam quantitas propoſitionum eas componentium, Ergo copulatiuæ & diſiunctiuæ propoſitiones vtramque prædictam habent quantitatem. Minor manifeſte conſtat: quia enim hæc copulatiua, nullus homo currit, & nullus homo loquitur, habet vniuerſalitatem aduerbialem illius copupulæ &, vniuerſalitatem vtriuſque cathegoricæ illam componentis; in ſua contra-

di-

dictoria omnis talis vniuerſalitas debet mutari in particularitatem. Hæc enim eſt illius contradictoria, aliquis homo currit, vel aliquis homo loquitur: in qua manifeſte conſtat vniuerſalitatem de ly *&* mutari in particularitatem de ly *vel*, & vniuerſalitatem ſubiecti vtriuſque cathegoricæ componentis copulatiuam mutari in particularitatem ſubiecti vtriuſque cathegoricæ componentis diſiunctiuam. Et eodem modo poteſt hoc verificari in omnibus contradictorijs copulatiuis & diſiunctiuis.

8 Cum hoc tamen ſtat, quod ſi aliqua propoſitio copulatiua, vel diſiunctiua componitur ex propoſitionibus non habentibus propriè quantitatem; vt ex propoſitionibus ſingularibus, vel ex propoſitionibus quarum ſubiecta ſupponunt ſimpliciter, tunc talis copulatiua vel diſiunctiua, ſolum habebit quantitatem, & vniuerſalitatem aduerbialem, non autem quantitatem ſuarum partium; & ita in contradictorijs ſolum vniuerſalitas copulę aduerbialis debet mutari in particularitatem copulæ aduerbialis: vt patet in iſtis copulatiuis, Petrus currit, & Petrus diſputat: homo eſt ſpecies, & animal eſt genus, quarum prima habet pro partibus propoſitiones ſingulares, & ſecunda propoſitiones, quarum ſubiecta ſupponunt ſimpliciter; & contradictoria primæ propoſitionis eſt iſta, Petrus non currit, vel Petrus non diſputat: & contradictoria ſecun-

cundæ eſt iſta, homo non eſt ſpecies, vel animal non eſt genus; in quibus nulla mutatur quantitas propoſitionum cathegoricarum, ſed ſolum vniuerſalitas de ly *&*; in particularitatem de ly *vel*.

CAPVT XVI.

De ſuppoſitione & eius diuiſionibus.

§. I.

Quid ſit ſuppoſitio.

EXplicatis iam diuerſis ſpeciebus propoſitionis, oportet proprietates termini, vt in propoſitione exiſtentis explicare: & prius, vt de prima illarum, agere de ſuppoſitione, Eſt igitur ſuppoſitio *acceptio termini pro aliquo, de quo verificatur*. *Acceptio* ponitur loco generis. Et cum altera ſit acceptio actiua, & altera paſſiua; non ſumitur in hac definitione acceptio pro acceptione actiua intellectus, quà terminus in propoſitione pro aliquo accipitur, ſed pro acceptione paſſiua, qua terminus dicitur acceptus. Et cum dicitur in definitione *acceptio termini pro aliquo*, intelligitur acceptio termini

mini; vel pro alio à ſe diſtincto pro ſuo videlicet ſignificato, vt contingit in ſuppoſitione ſimplici, & perſonali: vel acceptio termini pro ſemetipſo, vt in ſuppoſitione naturali. Illa autem particula *de quo verificatur* denotat nõ ſufficere ad ſuppoſitionem quamlibet acceptionem termini, etiam pro ſuo ſignificato, ſiue intra propoſitionem, ſiue extra illam, ſed quod requiritur acceptio termini pro aliquo de quo verificetur: multi enim termini etiam in propoſitione accipiuntur pro aliquo, & tamen non ſupponunt; quia non accipiuntur pro aliquo de quo verificantur.

2 Vt autem explicemus, quid ſit accipi terminum pro aliquo de quo verificatur, eſt aduertendum alteram eſſe verificationem termini, alteram verificationem propoſitionis. Verificatio termini pro aliquo nihil aliud eſt, quam exiſtentia eius pro quo accipitur terminus, iuxta exigentiam copulæ, in ordine ad quam accipitur, ita vt copula, *eſt, fuit*, vel *erit*, quæ correſpondet verbo propoſitionis, verificetur de illo pro quo accipitur terminus. Vt ſi dicas, Petrus eſt albus; verificatio termini debet fieri ſic, hoc eſt Petrus: & ſi dicas, Petrus diſputat, eodem modo debet fieri verificatio termini, dicendo, hoc eſt Petrus. Et ſi verbum propoſitionis fuerit de præterito, vel de futuro verificatio termini debet fieri per verbum *fuit*, vel *erit*. Vt ſi dicas, Adam cucurrit, verifi-

rificatio termini debet fieri, dicendo,hoc fuit Adam. Et ſi dicas, Antichriſtus curret, verificatio termini debet fieri, dicendo, hoc erit Antichriſtus. Et ſi terminus ſit reſtrictus, debet verificatio illius fieri cum eadem reſtrictione: vt ſi dicas, Petrus qui currit diſputat, verificatio ſubiecti debet fieri ſic, Petrus qui currit eſt. Et cum in tali verificatione termini demonſtratur illud, de quo verificatur per pronomen *hoc*, non oportet, quod demōſtratio fiat ad ſenſum: ſed ſufficit, quod fiat ad intellectum; vt ſit, cum verificatur ſubiectum huius propoſitionis, Adam fuit: quod non poteſt verificari de Adam demonſtrato ad ſenſum, ſed ſolum demonſtrato ad intellectum. Verificatio autem propoſitionis eſt, cum extrema propoſitionis affirmatiuę ſupponunt pro eodem. Vt in hac propoſitione, album eſt dulce; vt ſit verificatio propoſitionis, debent ſubiectum & prædicatum ſupponere pro eodem. Vnde cum ly album, & ly dulce ſint termini concreti, ac perinde ſupponentes pro ſuppoſito vel ſubiecto formæ, quam ſignificant; vt propoſitio ſit vera debet eſſe idem ſuppoſitum albedinis & dulcedinis. Et non ſufficit, vt propoſitio affirmatiua ſit vera, quod formæ ſignificatæ per extrema alicuius propoſitionis re ipſa habeant idem ſuppoſitum, vel ſubiectum: ſed requiritur, quòd vt ſignificantur per nomina, quibus in propoſitione vna forma dicitur de alia; talia

nomina ſupponant pro tali eodem ſuppoſito, vel ſubiecto. Vnde licet in eodem ſubiecto re vera exiſtat albedo & dulcedo; quia tamen hæc nomina albedo & dulcedo, vtpote nomina abſtracta, non ſupponunt pro tali eodem ſubiecto: quia non ſupponunt pro materiali; hæc propoſitio eſt falſa, albedo eſt dulcedo. His igitur ſuppoſitis cum in definitione ſuppoſitionis dicitur, terminum vt ſupponat, debere accipi pro aliquo de quo verificatur; debet intelligi de verificatione termini, non autem de verificatione propoſitionis: nec enim hęc requiritur vt terminus ſupponat. In hac enim propoſitione, Petrus eſt albus, ſi nunc exiſtat Petrus, & non ſit albus; ly Petrus ſupponit pro Petro: quia de illo verificatur verificatione termini, & tamen non datur verificatio propoſitionis, quia extrema ſcilicet Petrus, & ly albus non ſupponunt pro eodem. Et è contra in hac propoſitione Petrus non eſt albus; ſi non exiſtat nunc Petrus propoſitio eſt vera: & nō datur ex parte ſubiecti verificatio termini, nec terminus perinde ſupponit; imò illa propoſitio eſt vera, quia propoſitio negatiua verificatur vel per id quod eius extrema non ſupponant, vel per id quod non ſupponant pro eodem.

3 Hinc ſequitur, quod licet terminus extra propoſitionem dicatur accipi pro ſuo ſignificato, quatenus illud ſignificare, eſt accipi & ſubſtitui pro illo: tamen

quia

quia extra propoſitionem non accipitur terminus pro ſuo ſignificato in ordine ad verbum; talis acceptio termini non eſt pro aliquo, de quo verificatur (cum verificatio termini ſit in ordine ad copulam) ac perinde non eſt ſuppoſitio, nec terminus extra propoſitionem ſupponit.

§. I.

Diuiſio ſuppoſitionis, in ſuppoſitionem formalem & materialem.

4 VAriæ ſunt diuiſiones ſuppoſitionis, & primo poteſt diuidi in ſuppoſitionem formalem & materialē. Suppoſitio formalis eſt ***acceptio termini pro ſuo ſignificato de quo verificatur*** (hæc enim vltima particula in definitione cuiuſcunq; ſpeciei ſuppoſitionis debet poni; breuitatis tamen cauſa illam in definitionibus ſequentibus ſubintelligimus) vt omnes termini ſignificatiui, qui nō pro ſei ipſis, ſed pro ſuis ſignificatis, de quibus verificantur in aliqua accipiuntur propoſitione. Suppoſitio materialis eſt ***acceptio termini pro ſe ipſo***: & dicitur ſuppoſitio materialis, quia cū forma termini ſit ſignificatio, & quando accipiatur pro ſe ipſo non accipiatur ſignificatiuè, id eſt, pro ſuo ſignificato (etiam ſi habeat illud) non accipitur formaliter, ſed materialiter. Supponit igitur

terminus materialiter, quando accipitur pro ſe ipſo: vt ſubiectum huius propoſitionis, homo eſt nomen: quia hoc eſt peculiare vocum, ſiue ſignificatiuarum, ſiue non ſignificatiuarum, quod poſſint in propoſitione accipi loco ſui, & pro ſe ipsis, ac ſi ſemetipſas ſignificarent.

5 Duplex autem ſolet aſſignari regula ad cognoſcendũ, quando terminus ſupponat materialiter; & pro ſe ipſo in propoſitione accipiatur. Prima, cum vox eſt non ſignificatiua: cum enim illa non habeat ſignificatum pro quo poſſit accipi, ſi accipitur pro aliquo in propoſitione, vtique loco ſui accipitur & pro ſemetipſa, vt ſubiectũ huius propoſitionis blitiri eſt triſyllabon. Secunda, cum terminus alias ſignificatiuus afficitur nota materialitatis: notæ autem materialitatis ſunt hoc nomen, hoc ſignum, hic terminus, hæc vox, & iſta particula, ly.

§. III,
Diuiditur ſuppoſitio formalis in ſuppoſitionem propriam & impropriam.

6 RElicta ſuppoſitione materiali, diuiditur ſuppoſitio formalis iuxta triplicem reſpectum, quem poteſt dicere terminus ſignificatiuus in propoſitione poſitus: nempè ad ſignificatum quod ſignificat: ad prædicatum & copulam me-

dia qua vnitur: & ad ſignum quo in propoſitione afficitur. Ratione igitur reſpectus termini ſignificatiui ad ſuum ſignificatum, diuiditur primo ſuppoſitio formalis, in ſuppoſitionem propriam & impropriam. Suppoſitio propria, eſt *acceptio termini pro eo quod propriè ſignificat*: Suppoſitio vero impropria, eſt *acceptio termini pro illo quod impropriè ſignificat*: Pro quarum definitionum intelligentia, eſt aduertendum: quod aliqui termini ſignificant aliquid proprie, illud videlicet ad quod ſignificandum, ſunt primario impoſiti; & ſimul ſignificant aliud improprie, illud nimirum, quod cum ſuo ſignificato primario habet aliquam ſimilitudinem analogam, vel connotationẽ: vt hic terminus leo, quia ex primaria ſua impoſitione impoſitus eſt ad ſignificã dum animal rugibile, ſcilicet leonem; illum proprie ſignificat: & quia cum leone habet in fortitudine ſimilitudinem, & analogiam Chriſtus, illum ſimul improprie ſignificat. Indifferenſque eſt talis terminus, vt ex antecedentibus & ſubſequentibus accipiatur in propoſitione pro ſuo proprio, vel ſuo improprio ſignificato; ſi enim v. g. dicas leo rugit, vel leo currit; tam in prima iſtarum, quam in ſecunda propoſitione accipitur ille terminus leo pro ſuo proprio ſignificato, ſcilicet pro vero leone: in prima quidẽ, quia prædicatum rugit, proprium eſt veri leonis; in ſecunda autem, quia per prædica-

tur currit, non trahitur terminus leo, vt accipiatur pro ſuo ſignificato improprio: ac perinde cum ſit analogum per ſe ſumptum accipitur pro famoſiori, id eſt, pro ſuo proprio ſignificato. Si autem dicas, *vicit leo de tribu* Iuda: ille terminus per illam particulã *de tribu Iuda* determinatur, & trahitur, vt accipiatur nõ pro ſuo proprio ſignificato, ſcilicet pro vero leone; ſed pro ſuo improprio ſignificato, ſcilicet Chriſto: & non quidẽ abſolute pro Chriſto, vt accipitur hic terminus Chriſtus in hac propoſitione, Chriſtus vicit; ſed pro Chriſto cum cõnotatione ad verum leonẽ, cum quo habet ſimilitudinem in fortitudine. Ex his igitur conſtat vtraque prædicta definitio; cum enim terminus accipitur pro ſuo ſignificato proprio, eſt ſuppoſitio propria: cum autem accipitur pro eo quod impropriè ſignificat, eſt ſuppoſitio impropria.

7 Et nota, quod quamuis terminus habens duplex ſignificatum, proprium & improprium; ſemper vbicumq; ſit, vtrumque ſignificat, licet proprium primariò, & ſecundariò improprium, non tamen in propoſitione accipitur pro vtroque, ſed pro vno, vel pro altero iuxta id quod ex antecedentibus & ſub ſequentibus determinatur, vel in determinatur: & vt propoſitio ſit vera non debet prædicatum verificari de vtroque ſignificato termini (alias hæc propoſitio eſſet falſa, *vicit leo de tribu Iuda*: quia prædicatum non conue-

uenit vero leoni, ſed tantum Chriſto) ſed debet cõuenire prædicatum illi dumtaxat ſignificato, pro quo ſupponit & accipitur ſubiectum. Vnde ſupponere aliquem terminum impropriè eſt quod ſignificans ſimul vnum propriè, & alterum impropriè, accipiatur non pro illo quod propriè ſignificat; ſed pro illo tantum quod impropriè repræſentat.

8 Hinc eſt, quod cum hoc totum poſſit reperiri in voce, & dari aliquis vnus terminus vocalis, qui ſimul ſignificans vnum propriè & alterum impropriè, accipiatur *in propoſitione* ratione alicuius determinationis pro illo tantum, quod impropriè ſignificat; poſſit dari in voce ſuppoſitio impropria. Quia tamen cum conceptus ſit naturalis ſimilitudo ſui obiecti, & non poſſit idem conceptus eſſe naturalis ſimilitudo duplicis diuerſi obiecti, quamuis vnum habeat aliquam ſimilitudine cum alio, non poteſt dari vnus & idem conceptus ſignificans & repræſentans ſimul vnum propriè & alterũ impropriè, & accipi in propoſitione mẽtali pro illo tantum quod impropriè ſignificat: ac perinde non poteſt dari in mente ſuppoſitio impropria. Sed de hoc latius, Deo dante, in diſputatione ſuper illud caput.

§. IV.

Diuiditur ſuppoſitio formalis in ſimplicem & perſonalem.

9 RAtione reſpectus, quem terminus ſignificatiuus in propoſitione dicit ad copulam & prædicatum, diuiditur ſecundo ſuppoſitio formalis in ſimplicem & perſonalem. Et hæc non eſt ſubdiuiſio (vt aliqui exiſtimant) ſuppoſitionis propriæ, quia alterum huius diuiſionis mēbrum, ſcilicet ſuppoſitio perſonalis, non ſolum propriæ ſed etiam impropriæ conuenit ſuppoſitioni, ſuppoſitio igitur formalis in communi, & vt abſtrahit a propria & impropria ſuppoſitione, diuiditur in ſimplicem & perſonalem, ſuppoſitio autem ſimplex eſt ***acceptio termini pro illo quod primo, & per ſe, & formaliter ſignificat***: ſuppoſitio vero perſonalis eſt ***acceptio termini pro indiuiduis***. Pro quarum definitionum intelligentia, eſt aduertendum, quod terminus (& præcipuè terminus communis) duplex habet ſignificatum, v.g. hic terminus homo immediatè, primò, & per ſe, & formaliter ſignificat naturam humanam; mediatè autem indiuidua & perſonas, in quibus eadem reperitur natura; & quia natura vniuerſalis non reperitur à parte rei, ſed ſolū

in

in intellectu ; & pro vt concipitur conceptu proprio & vniuerſali naturæ ; primarium ſignificatum talis termini eſt natura humana , prout concipitur proprio cõceptu naturæ : mediatum autem ſignificatũ ſunt ipſa indiuidua , in quibus talis reperitur natura . Cum igitur terminus accipitur pro illo quod primò,& per ſe,& formaliter ſignificat, ſcilicet pro natura, pro vt concipitur conceptu communi & proprio naturæ, talis terminus ſupponit ſimpliciter : vt ſubiectũ huius propoſitionis, homo eſt ſpecies . Et cum natura ſic cõcepta conceptu communi ſit vna; terminuſq; accipitur pro tali ſuo primario & formali ſignificato , ſupponit immobiliter : nec ſub illo poteſt aliquis fieri aſcenſus vel deſcenſus . Cum autem terminus accipitur pro indiuiduis, quæ mediate ſignificat, id eſt, pro perſonis aut indiuiduis, in quibus reperitur natura , quæ primo , & per ſe & formaliter ſignificat ; eſt ſuppoſitio perſonalis : & dicitur perſonalis , quia eſt ſuppoſitio pro perſonis : & quia perſonæ quas ſic mediate ſignificat terminus, & pro quibus ſupponit ſunt plures , terminus ſic ſupponens ſupponit mobiliter, & ſub illo poteſt fieri aſcenſus vel deſcenſus .

10 An autem in termino ſingulari , vt in hoc termino Petrus,duplex prædictum poſſit diſtingui ſignificatum, ac perinde poſſit ille ſupponere ſimpliciter & perſonaliter, aliquam habet difficultatem ſuper

iſtud caput examinandam. Nunc breuiter dico, quod poteſt Petrus cõſiderari, vt eſt in intellectu, & prout concipitur proprio conceptu indiuidui; & ſic eſt ſignificatum primarium huius termini Petrus, & cum pro illo accipitur, ſupponit ſimpliciter, vt ſubiectum huius propoſitionis, Petrus eſt indiuiduum: & poteſt conſiderari Petrus abſolute, & vt eſt in re; & ſic eſt ſignificatum mediatum huius termini Petrus, & cũ pro illo accipitur ſupponit perſonaliter, vt in hac propoſitione, Petrus currit.

§. V.

Subdiuiditur ſuppoſitio perſonalis in naturalem, & accidentalem.

11 Etiam ratione reſpectus, quem terminus ſignificatiuus in propoſitione poſitus dicit ad copulã & prædicatum, ſubdiuiditur ſuppoſitio perſonalis in ſuppoſitionem naturalem & accidentalem. Suppoſitio naturalis, eſt *acceptio termini pro omnibus his, pro quibus natus eſt accipi.* Suppoſitio autem accidentalis, eſt *acceptio termini pro his ſolum, de quibus verificatur iuxta exigentiam verbi.* Pro quarũ definitionũ intelligẽtia eſt aduertendum: quod quilibet terminus eſt ſecundum ſe natus & aptus accipi pro omnibus ſuis ſignificatis, ſaltem quæ propriè ſigni-

ſignificat. Vnde in propoſitione poſitus, niſi limitetur & reſtringatur à verbo, vt ſolum accipiatur pro aliquibus ſuis ſignificatis, accipitur pro omnibus quibus ſecundũ ſe natus eſt accipi: & tunc ſupponit naturaliter. Et dicitur propoſitio naturalis, quia eſt iuxta naturalem ſuppoſitionẽ termini. Tunc autem non reſtringuntur termini à verbo, vt accipiantur ſolum pro aliquibus ſuis ſignificatis iuxta differentiã ſcilicet temporis importatam per verbum, quando prædicatum eſt de intrinſeca ratione ſubiecti, tanquam illius videlicet eſſentia, vel pars eſſentiæ, vel tanquam illius proprietas vel paſſio. Quando autem prædicatum non eſt de intrinſeca ratione ſubiecti; tunc verbum reſtringit extrema, vt non accipiatur terminus pro omnibus ſuis ſignificatis, pro quibus ſecundum ſe natus erat accipi; ſed pro illis tantum, de quibus verificatur iuxta exigentiam verbi, & differentiam temporis importatã per illud: vt in hac propoſitione, homo currit. Et talis ſuppoſitio dicitur accidentalis, quia ſic accipi terminum, non conuenit illi ex ſua quaſi naturali ſignificatione, ſed ex accidenti: ex eo nimirum quod adiungatur tali verbo & tali prædicato.

§. VI.

Subdiuiditur ſuppoſitio perſonalis in communem & ſingularem.

12 RAtione reſpectus ad ſignum, quo terminus ſignificatiuus in propoſitione afficitur, vel non afficitur, ſubdiuiditur ſuppoſitio perſonalis; in cõmunem & ſingularem. Et ſubdiuiditur quidem ſuppoſitio perſonalis; quia iſta non eſt diuiſio ſuppoſitionis formalis in tota ſua latitudine acceptæ, quia ſub hoc diuiſo, nec ſub aliquo membro diuidentium comprehenditur ſuppoſitio ſimplex: nec eſt ſubdiuiſio (vt aliqui exiſtimant) ſuppoſitionis accidẽtalis; quia etiã ſuppoſitio naturalis comprehenditur ſub hoc diuiſo & mẽbris huius diuiſionis. In hac enim propoſitione, homo eſt animal, ſubiectũ ſupponit naturaliter & etiam cõmuniter; & ſubiectum huius, Petrus eſt animal, ſupponit naturaliter & ſingulariter: vt vtrunque patet, quia in contradictoria primæ debet mutari particularitas ſubiecti in vniuerſalitatem. Hæc enim eſt illius contradictoria, nullus homo eſt animal: & in contradictoria ſecundæ permanet eadem ſingularitas ſubiecti: hæc enim eſt contradictoria illius, Petrus non eſt animal. Subdiuiditur igitur ſup-

ſuppoſitio perſonalis in communem & ſingularem Suppoſitio communis eſt *acceptio termini communis*. Suppoſitio ſingularis eſt *acceptio termini diſcreti, vel termini communis pronomine demonſtratiuo affecti*: Vt ſuppoſitio ſubiecti harum propoſitionum, Petrus diſputat, hic homo diſputat. Suppoſitio communis alia eſt determinata, alia confuſa. Suppoſitio determinata eſt *acceptio termini cõmunis nullo ſigno, vel ſigno particulari affecti*. Suppoſitio confuſa, eſt *acceptio termini cõmunis ſigno vniuerſali affecti*. Et eſt duplex, confuſa tantum, & diſtributiua, ſuppoſitio diſtributiua, eſt *acceptio termini communis ſigno vniuerſali affirmatiuo immediate, vel ſigno vniuerſali negatiuo mediate vel immediate affecti*; vt ſubiectum huius propoſitionis, omnis homo eſt albus, & ſubiectum & prædicatum huius, nullus homo eſt albus. Suppoſitio autem confuſa tantum, eſt *acceptio termini communis ſigno vniuerſali affirmatiuo mediate, vel ſigno ſpecialis confuſionis affectı*. Vt prædicatum huius propoſitionis; omnis homo eſt albus. Et ly equus in hac propoſitione, ad equitandum requiritur equus.

Hæc autem pleniùs explicabuntur per regulas ſuppoſitionis, §. ſequenti ſtatuendas.

§. VII.

§. VII.

Sex ſtatuuntur regulæ ſuppoſitionis.

13 VT regulas ſuppoſitionis ſtatuamus, quia omnes fere illæ dependent ex diuerſitate ſignorum, quibus termini in propoſitione afficiuntur; talium ſignorum oportet præmittere diuerſitatē; Sunt igitur aliqua ſigna mere particularia, & alia pure vniuerſalia, pure particularia, vt aliquis, quidam: pure vniuerſalia, alia ſunt negatiua, alia affirmatiua. Affirmatiua, vt omnis quilibet; negatiua, vt nullus, nemo, & ly *non*. Alia autem ſunt ſigna partim particularia, & partim vniuerſalia, vt ly omne, aliquod, vterque, neuter, & alter; quando accipiuntur incomplete. Pro quo eſt aduertendum, quod ly omne, & ly aliquod poteſt accipi & complete, & incomplete; quando accipitur ly omne complete diſtribuit pro ſingulis cuiuſcumque generis; ita vt dicere, v.g. omne animal fuit in arca Noe, ly omne complete accepto, eſt idem ac dicere, cuiuſcumque ſpeciei animalis, omne animal fuit in arca Noe: quando vero ly omne incomplete accipitur, diſtribuit ſolum pro generibus ſingulorum: vt ſi dicas, omne animal fuit in arca Noe, ly omne incomplete accepto, eſt ac dicere, cuiuſcumque ſpeciei animalis aliquod animal

mal fuit in arca Noe : Similiter ſi ly aliquod particularizet complete, particularizat pro aliquo alicuius ſpeciei. Vt ſi dicas, aliquod animal fuit in arca Noe, ly aliquod complete particularizante, eſt ac dicere, alicuius ſpeciei animalis, aliquod animal fuit in arca Noe. Si autem particularizet incomplete, particularizat pro omnibus alicuius ſpeciei: vt in prædicta propoſitione, ſi ſumatur ly aliquod incompletè, eſt idem ac dicere, alicuius ſpeciei animalis omne animal fuit in arca Noe. Similiter hæc ſigna vterque & neuter poſſunt diſtribuere complete, vel incomplete; ſi complete, diſtribuunt pro quolibet omnium duorum, & eſt idem dicere, vterque homo currit, aut neuter homo currit; ac dicere, omnium duorum hominum quilibet homo currit: omnium duorum hominum nullus homo currit. Si autem diſtribuant incomplete, diſtribuunt pro aliquo omnium duorum, & prædictę propoſitiones, ly vterque, & neuter incomplete ſumptis, reſoluuntur per iſtas omnium duorum hominum aliquis homo currit, omnium duorum hominum aliquis non currit: & denique ly alter poteſt particularizare complete & incomplete: ſi complete accipiatur particularizat pro aliquo aliquorum duorum: & hæc propoſitio alter homo currit, æquiualet huic, aliquorum duorum hominum aliquis homo currit: Si autem accipiatur incomplete, particularizat pro omni aliquorum

duo-

duorum, & prædicta propoſitio reſoluitur in hanc, aliquorum duorum quilibet homo currit. Hinc ſequitur omnia iſta ſigna incomplete accepta eſſe partim vniuerſalia, & partim particularia; quod oportet aduertere pro regulis ſtatim ſtatuendis, & pro oppoſitione propoſitionum conſtantium his ſignis incomplete ſumptis, ac pro aſcenſu & deſcenſu ſub extremis illarum.

14 Alia deniq; ſunt ſigna ſpecialis confuſionis, id eſt, quæ nō diſtribuunt, nec particularizant terminum; ſed illum faciunt ſupponere confuſe tantum; ita vt ſub illo non poſſit fieri aſcenſus, vel deſcenſus diſiunctiuus, vel copulatiuus, ſed diſiunctus aut copulatus. Huiuſmodi ſigna ſunt ly omnes collectiue ſumptum, hi termini requiritur, promitto, & alij ſimiles.

15 His igitur ſuppoſitis. Prima ſuppoſitionis regula eſt, quod terminus communis nullo ſigno, aut ſigno particulari affectus, ſupponit determinare, vt extrema harum propoſitionum, homo eſt albus, aliquis homo eſt albus. Supponere autem determinate eſt, quod poſſit verificari pro vno vel alio indiuiduo indeterminate: ac perinde termino ſupponenti determinate debetur aſcenſus vel deſcēſus diſiunctiuus.

16 Secunda regula. Terminus communis affectus immediate ſigno vniuerſali affirmatiuo, vel mediate vel immediate affectus ſigno vniuerſali negatiuo, ſupponit diſtributiuè, vt ſubiectū huius propoſitionis, omnis homo eſt albus, & ſubiectum &

præ-

prædicatum huius, nullus homo eſt albus. & intelligitur vtraque regula de ſignis vniuerſalibus vel particularibus complete diſtribuētibus, vel particularizātibus cōplete.

17 Tertia regula. Terminus communis, qui ſequitur mediatè ſignum vniuerſale affirmatiuum, ſupponit confusè diſiunctim, id eſt, debetur ei aſcenſus vel deſcenſus diſiunctus & non diſiunctiuus; niſi priùs fuerit reſolutus in ſuos ſingulares terminos immediatè affectos tali ſigno vniuerſali affirmatiuo: tunc enim terminus, qui ſupponebat confuſè, iam poteſt reſolui diſiunctiuè. Exemplum huius eſt in prædicato huius, omnis homo eſt albus.

18 Quarta regula. Terminus communis affectus immediatè ſigno vniuerſali collectiuo, ſupponit confusè copulatim; & affectus alijs ſignis ſpecialis confuſionis ſupponit confusè diſiunctim. Exemplum primi eſt in ſubiecto huius propoſitionis, omnes Apoſtoli Dei ſunt duodecim, quod ratione illius termini collectiui, *omnes* ſupponit confusè copulatim, & ſolum poteſt reſolui copulatim, vt ſi dicas, iſti & iſti Apoſtoli ſunt duodecim. Exemplum ſecundi eſt, in his propoſitionibus, ad iter requiritur equus, promitto tibi librum; in quibus ly *equus*, & ly *liber* ratione ſignorum ſpecialis confuſionis *promitto* & *requiritur*; ſupponunt confusè diſiunctim; & non poſſunt reſolui diſiunctiue, ſed per deſcenſum diſiunctum vt ſi dicas, ad iter requiritur hic, vel ille equus.

19 Quin-

19 Quinta regula eſt. Terminus communis duabus negationibus aut vna negatione, & alio ſigno vniuerſali affirmatiuo affectus, ſi dempta prima negatione, maneat diſtributus in ordine ad terminum ſtantem determinate; cum illa ſupponit confusè: ſi autem dempta prima negatione, maneat diſtributus in ordine ad terminum ſtantem confusè; cum illa ſupponit determinate. Exemplum primi eſt, in prædicato huius propoſitionis, nullus homo non eſt animal quod ſupponit confuſe; quia dempta prima negatione; vt ſi dicas, homo non eſt animal, ſupponit diſtributiue, in ordine ad terminum *homo* ſtantem determinate: exemplum ſecundi eſt in ſubiecto huius propoſitionis, non omnis homo eſt animal, quod ſupponit determinate, quia dempta prima negatione; vt ſi dicas omnis homo eſt animal, ſupponit diſtributiuè in ordine ad illum terminum *animal*, ſtantem confusè.

20 Sexta regula. In complexis ex parte determinante & parte determinabili, ſi accipiantur vnica acceptione, pars determinans non poteſt reſolui, antequam reſoluatur pars determinabilis: ſi autem accipiantur pluribus acceptionibus, à qualibet parte complexi poteſt incipere reſolutio. Accipiuntur autem prædicta complexa vnica acceptione quando obliquus determinans rectum, ſubſequitur illum, vt ſi dicas equus hominis currit; accipiuntur autem pluribus acceptionibus;

quan-

quando è contra obliquus determinans re-ctum, illum præcedit; vt ſi dicas hominis equus currit, ſed circa hanc regulam, (quia circa illam plura ſe offerunt ſophiſmata) aliquid forſam dicemus in diſputationibus.

CAPVT XVII.

De relatiuis.

§. I.

Quid & quotuplex ſit relatiuum.

NOn loquitur de relatiuis logicalibus, de quibus agitur in prædicamento relationis, ſed de relatiuis grammaticalibus: quia ſpecialis eſt de illis ac de aliis terminis ſuppoſitio & reſolutio. Relatiuum igitur eſt ***rei ante lata recordatiuum***: vt cum dico Petrus qui diſputat currit; relatiuum ***qui*** eſt rei ante latæ, id eſt. Petri recordatiuum.

2 Quod ſi aduerſus hanc definitionem obijcias, quod relatiuum diuerſitatis, vt ly alius in hac propoſitione, Petrus diſputat, & alius reſpondet, eſt relatiuum: & tamen non eſt rei ante latæ recordatiuum, quia non ſignificat Petrum, nec ſupponit pro illo, ſed potius pro alio diſtincto à Pe-

tro. Ergo prædicta definitio non eſt bona. §. Reſpondetur negando minorem, quia ly alius ſaltem in obliquo refert rem ante latam: non enim ſupponit abſolute pro alio, ſed vt diſtincto à Petro, quod ſufficit, vt ſit recordatiuum rei antelatæ.

3 Relatiuum aliud eſt relatiuum ſubſtantiæ, & aliud relatiuum accidentis. Relatiuum ſubſtantiæ eſt, quod refert ſuũ antecedens per modum ſubſtantiæ: vt relatiuum *qui* & *ille* in his propoſitionibus, homo qui currit, diſputat, homo diſputat & ille currit. Relatiuum vero accidentis eſt, quod refert ſuum antecedens per modum accidentis: vt relatiuum, *qualis* & *quantus* in his propoſitionibus, Petrus eſt doctus qualis eſt Franciſcus; Petrus eſt magnus, quantus eſt Paulus, ſubdiuiditur autem vtrunque relatiuum, in relatiuum identitatis, & diuerſitatis. Relatiuum identitatis, eſt quod accipitur pro eodem ac ſuum antecedens; vt Petrus qui currit diſputat; nix eſt alba, & talis eſt papyrus. Relatiuum vero diuerſitatis eſt, quod accipitur pro alio quam ſuum antecedens: Vt vnus homo diſputat, & alius reſpondet, & ly alterum, in hac propoſitione, homo eſt animal, & alterum eſt leo.

4 Relatiuum autem identitatis etiam ſubdiuiditur in reciprocum, & non reciprocum. Reciprocum eſt quod regreſſionem quandam ſignificat ſuper ſuum antece-

ce-

cedens, vt in his propoſitionibus: Petrus diligit ſe, Petrus eſt ipſemet, Petrus diligit filium ſuum. Relatiuum non reciprocum eſt, quod talem regreſſionem non ſignificat ſuper ſuum antecedens, vt relatiuum *qui alius*, & alia plura.

§. I I.

Quomodo reſoluatur relatiuum.

5 CVm reſolutio propoſitionis detur ad explicandum aliquam eius confuſionem, & ſolum illam importet relatiuum *qui* (alia enim relatiua manifeſtam habent ſignificationem) ſolum relatiuum *qui* indiget reſolutione cum ſubijcitur reſpectu alicuius copulæ implicationis, quæ efficitur pars extremi: vt in his propoſitionibus, Petrus qui currit diſputat, Petrus eſt animal, quod eſt album. Cum autem in propoſitione, quæ conſtat copula principali, & copula implicationis, quę dicitur de relatiuo *qui*, poſſit vtraque copula affirmari, vel vtraque negari: vel vna affirmari & altera negari, diuerſimode in illis fieri debet relatiui reſolutio.

6 Si igitur vtraque copula ſit affirmata, vt in hac propoſitione, Petrus qui currit eſt albus, debet talis propoſitio reſolui per vnam copulatiuam; in cuius prima cathegorica prædicatum media copula principali affirmetur de ſubiecto, & in-

ſe-

ſecunda cathegorica copula implicationis affirmetur de relatiuo *ille*, vt prædicta propoſitio in iſtam, Petrus eſt albus, & ille currit. Si autem copula implicationis fuerit affirmata & copula principalis negata, vt in hac, Petrus qui currit non diſputat: debet reſolui in vnam diſiunctiuam, in cuius prima cathegorica copula principalis negetur de ſubiecto, & in ſecunda cathegorica copula implicationis negetur de relatiuo *ille*, vt prædicta propoſitio in iſtam, Petrus non diſputat, vel ille non currit. Si vero copula implicationis fuerit negata, & copula principalis affirmata, vt in hac, Petrus qui non currit diſputat: debet reſolui in vnam copulatiuam, in cuius prima cathegorica copula principalis affirmetur de ſubiecto, & in ſecunda cathegorica copula minus principalis negetur de relatiuo *ille*: vt prædicta propoſitio in iſtam, Petrus diſputat, & ille non currit. Si denique vtraque copula negetur, vt in hac, Petrus, qui non currit, non diſputat: debet reſolui in vnam diſiunctiuam, in cuius prima cathegorica copula principalis negetur de ſubiecto, & in ſecunda cathegorica copula minus principalis affirmetur de relatiuo ille: vt prædicta propoſitio in iſtam, Petrus non diſputat, vel ille currit. Hæc omnia intelliguntur, quando propoſitiones ſunt immediatè reſolubiles ratione relatiui. Quæ autẽ ſint immediatè reſolubiles ratione relatiui, dicemus paragrapho ſeq.

§. III.

§. III.

Quæ propoſitiones ſint immediatè reſolubiles ratione relatiui.

7 Eſſe aliquam propoſitionem immediate reſolubilem ratione relatiui, eſt quod prius quàm reſoluatur per aſcenſum, vel deſcenſum in ſuas ſingulares, poſſit reſolui ratione relatiui; ita vt à reſolubili ad reſoluentes, & à reſoluentibus ad reſolubilem ſit mutua conſequentia. Vnde cum propoſitio ſingularis non ſit reducibilis in aliàs ſingulares, omnis propoſitio ſingularis conſtans relatiuo *qui*, eſt immediate ratione talis relatiui reſolubilis: & ſolum eſt difficultas de propoſitionibus particularibus & vniuerſalibus.

8 Dicendum igitur eſt, quod propoſitio particularis affirmatiua, & eius contradictoria vniuerſalis negatiua: vt iſtæ; homo qui currit diſputat: homo qui non currit diſputat: nullus homo qui non currit diſputat: ſunt immediatè reſolubiles ratione relatiui, ità vt ab illis ad ſuas reſoluentes, & à ſuis reſoluentibus ad illas ſi mutua conſequentia.

9 Propoſitio autem vniuerſalis affirmatiua & eius contradictoria particularis negatiua non eſt immediatè reſolubilis ratione relatiui: quia ab illis ad ſuas reſol-

ſoluentes non eſt mutua conſequentia; ab vniuerſali enim affirmatiua ad ſuas reſoluentes non valet conſequentia, licet valeat à reſoluentibus ad illam: ſicut iſtæ ſunt malæ conſequentiæ, omnis homo qui currit diſputat, ergo omnis homo diſputat, & ille currit: omnis homo qui non currit diſputat, ergo omnis homo diſputat, & ille non currit. In vtraque enim committitur defectus arguendi à reſtricto ad non reſtrictum cum diſtributione non reſtricti. Et in caſu quo ſint duo homines, & vnus currat, & diſputet: alter vero nec currat, nec diſputet: antecedens primæ conſequentiæ eſt verum & conſequens falſum: & in caſu quo ſint duo homines, & vnus non currat, & diſputet: & alter currat & non diſputet, antecedens ſecundæ conſequentiæ eſt verum & conſequens falſum. Particularis etiam negatiua non eſt immediatè reſolubilis ratione relatiui: quia licet à reſolubili ad reſoluentes valeat conſequentia, non tamen à reſoluentibus ad reſolubilem; vt hæc eſt mala conſequentia: homo non diſputat, vel ille non currit, ergo homo qui currit non diſputat, propter defectum arguendi à non reſtricto ad reſtrictum ſine diſtributione non reſtricti; & caſu quo ſit tantum vnus homo: & ille nec diſputet, nec currat: antecedens eſt verum & conſequens falſum. Et iſta etiam eſt mala conſequentia, homo non diſputat, vel ille currit, ergo homo qui non currit non diſputat: pro-

pter

pter eundem defectum arguendi: & in caſu quo ſit vnus tantum homo, & ille non diſputet & currat; antecedens eſt verum & conſequens falſum.

§. IV.

Qualiter relatiuum non reciprocum referat reſtricte ſuum antecedens.

10 RElatiuum referre reſtricte ſuum antecedens eſt, quod ſupponat pro illo, non abſolute, ſed vt ei conuenit prædicatum, & quod loco relatiui poſſit poni ſuum antecedens non abſolute ſine aliqua reſtrictione, ſed cum reſtrictione prædicati. Vt ſi dicas, homo currit, & ille diſputat; quod relatiuum *ille* referat reſtricte ſuum antecedens, eſt, quod ſupponat pro homine currente, & loco relatiui poſſit poni antecedens, non abſolute, ſed cum reſtrictione currentis, ac dici, & ille homo qui currit diſputat. Nec oportet quod relatiuum, vt referat reſtricte ſuum antecedens, referat illud cum eadē diſtributione, quam habet antecedens: vt ſi dicas, omnis homo currit, & ille diſputat, relatiuū *ille* non ſupponit pro omni homine currente, ſed pro homine qui currit.

11 Hoc ſuppoſito in copulatiuis, affirmatiuis, & diſiunctiuis, earum contra-

dictorijs, relatiuum poſitum in ſecunda cathegorica refert reſtricte ſuum antecedens; vt in hac, omnis homo currit,& ille diſputat, relatiuum *ille* ſupponit pro homine currente. Et in hac diſiunctiua eius contradictoria, homo non currit, vel ille non diſputat; relatiuum *ille* ſupponit reſtricte, non quidem pro homine non currente, quod erat antecedens primæ cathegoricæ talis diſiunctiuæ,ſed pro homine currente, quod erat antecedens primæ cathegoricæ copulatiuæ ſuæ contradictoriæ: nam in contradictorijs eadem debet ſeruari reſtrictio.

12 In propoſitione autem diſiunctiua affirmatiua relatiuum *ille* poſitum in ſecunda cathegorica, non refert reſtricte: ſed abſolute ſuum antecedens: ita vt ſi loco relatiui ponatur ſuum antecedens, abſolute & ſine aliqua reſtrictione debet poni: vt in hac propoſitione,homo currit, vel ille diſputat; relatiuum *ille* ſupponit pro homine abſolute, & non reſtricte pro homine currente. Idemque eſt dicendum de negatiuis copulatiuis earum contradictorijs: quia negatiua nulla debet eſſe reſtrictio, quæ non ſit in affirmatiua eius contradictoria.

13 Huiuſmodi autem regulæ poſſunt extendi etiam ad relatiuum diuerſitatis, quod in affirmatiuis copulatiuis, & earũ contradictorijs refert reſtricte ſuum antecedens, non vero in diſiunctiuis affirmatiuis & earum contradictorijs. In hac enim

enim propoſitione, vnus homo diſputat, & alius reſpondet: relatiuum *alius* refert reſtricte ſuum antecedens, ita vt ſit ſenſus, & alius ab homine qui diſputat, reſpondet.

§. V.

Qualiter ſupponat relatiuum.

14 SPecialis eſt quantum ad ſuppoſitionem ratio in relatiuis, ac in alijs terminis: quantum ad ſuppoſitionem. inquam, an ſupponent ſingulariter, confuſe, vel determinate. Pro cuius explicatione duæ ſtatuuntur regulæ. Prima, relatiuum reciprocum ſupponit ſigillatim ſicut ſuum antecedens. Supponere ſicut ſuum antecedens, eſt, quod ſi ſuum antecedens ſupponit diſtributiue, relatiuum etiam ſupponat diſtributiue, etiam ſi ſigno diſtributiuo præter ſignum quo afficitur ſuum antecedens, ipſum relatiuum non afficiatur. Supponere autem ſigillatim ſicut ſuum antecedens, aliquid amplius dicit, nempè quòd cum per aſcenſum vel deſcenſum reſoluitur in ſingulares ſuum antecedens: ſimul reſoluitur in ſingulares ipſum relatiuum. Vt in hac propoſitione, omnis homo diligit ſe, licet iuxta regulas communes ſuppoſitionis aliorum terminorum relatiuum *ſe*, vtpote ſigno vniuerſali affirmatiuo mediate

affectum deberet ſupponere confuſe; tamen propter ſpecialem rationem relatiui reciproci, quia ſuum antecedens ſupponit diſtributiue, ipſum relatiuum ſupponit diſtributiue: & diſtributiuè ſigillatim; ita vt ſi ſub ſubiecto talis propoſitionis deſcendas, dicens, ergo hic homo diligit ſe, & hic homo diligit ſe; ſimul & abſque alia reſolutione deſcendis ſub relatiuo. Et in qualibet prædictarum ſingularium relatiuum *ſe* ſupponit ſingulariter.

15 Secunda regula. Relatiuum non reciprocum non ſupponit ſicut ſuum antecedens, ſed iuxta exigentiam ſignorum, quibus ipſum relatiuum afficitur. Et ita in hac propoſitione, omnis homo diſputat, & ille currit, licet antecedẽs ſupponat diſtributiuè: relatiuum tamen, quia nullo ſigno afficitur (ſignum enim diſtributiuum vnius cathegoricæ non tranſit ad terminos alterius cathegoricæ) ſupponit determinatè. Et in hac propoſitione, homo diſputat, & non ille currit, licet antecedens ſupponat determinatè; relatiuum *ille*, quia afficitur negatione, ſupponit diſtributiuè: & denique in hac propoſitione, omnis homo eſt animal, & illud eſt rationale; licet ly animal, quod refert relatiuum, ſupponat cõfusè, quia ſigno vniuerſali affirmatiuo mediatè afficitur; ipſũ tamen relatiuum, quia nullo ſigno afficitur, ſupponit determinatè.

C A-

CAPVT XVIII.

De ampliatione, & reſtrictione.

§. I.

Quid ſit ampliatio, & reſtrictio.

AMpliatio & reſtrictio ſunt proprietates termini exiſtentis in propoſitione. Et ampliatio eſt ***extenſio termini à minori ad maiorem ſuppoſitionem***. Reſtrictio autem eſt ***coarctatio termini à maiori ad minorem ſuppoſitionem***. Pro quo eſt aduertendum, quod cum terminus aliquis accipitur in ordine ad copulam de præſenti, habet quaſi ſtatum ſuppoſitionis, & accipitur pro ſolum præſentibus. Vnde ſi ratione alicuius accipiatur pro pluribus, vel in ordine ad plures differentias temporis, dicitur terminum ampliari, & extendi à minori ad maiorem ſuppoſitionem: vt in hac propoſitione, homo poteſt eſſe albus, ſubiectum ampliatur: quia non ſolum accipitur pro omnibus præſentibus, ſed pro præſentibus, & futuris, & poſſibilibus. Si autem ratione alicuius terminus accipiatur pro paucioribus,

quam ſecundum ſtatum ſuppoſitionis deberet accipi, dicitur, terminus reſtringi, & coarctari à maiori ad minorem ſuppoſitionem: vt in hac propoſitione, homo iuſtus diſputat; ratione illius adiectiui *iuſtus* ille terminus homo (cui ſi non adiungeretur tale adiectiuum ſupponeret pro hominibus præſentibus ſiue iuſtis, ſiue non iuſtis) reſtringitur & coarctatur, vt accipiatur ſolum pro hominibus iuſtis.

2 Ampliatio autem & reſtrictio vel poteſt eſſe quoad ſuppoſita, vel quoad differentias temporis. Quoad ſuppoſita eſt, cum ratione ampliationis vel reſtrictionis accipitur terminus pro pluribus vel paucioribus ſuppoſitis, quam acciperetur ſecundum ſtatum ſuppoſitionis: & huius ampliationis & reſtrictionis ſolum eſt capax terminus communis perſonaliter accidentaliter ſupponens; nam terminus ſingularis vnum tantum ſignificãs, non poteſt accipi pro pluribus vel paucioribus ſuppoſitis. Nec terminus ſupponens ſimpliciter, cum non ſupponat pro indiuiduis, ſed immobiliter pro natura. Nec denique terminus ſupponens naturaliter, quia ille ex vi ſuæ naturalis ſuppoſitionis accipitur pro omnibus, pro quibus naus eſt accipi. Altera eſt ampliatio & reſtrictio, quoad differentias temporis; vt cum accipitur terminus pro ſuo ſignificato in ordine ad plures vel pauciores differentias temporis, quam acciperetur ſecundum ſtatum

ſup-

ſuppoſitionis: & huius ampliationis & reſtrictionis etiam eſt capax terminus ſingularis: quia licèt vnum tantum habeat ſignificatum, poteſt accipi pro illo in ordine ad plures vel pauciores differentias temporis.

3 Vt autem detur ampliatio quod tempora, debet accipi terminus pro ſuo ſignificato in ordine ad plures differẽtias temporis diuiſim: vt in hac propoſitione, homo fuit albus, ampliatur: quia accipitur pro homine, qui eſt vel fuit. Si autem acciperetur terminus pro ſuo ſignificato in ordine ad plures differentias temporis copulatim, vt in hac propoſitione, homo qui eſt,& fuit, erit albus, potius eſt reſtrictus, quam ampliatus: quia non ſupponit indifferenter pro homine, qui eſt vel fuit, nec pro omni homine præſenti, nec pro omni homine præterito; ſed ſolum pro hominibus, qui nunc ſunt, & aliquando fuerunt.

4 Reſtrictio autem poteſt eſſe vel quo ad tempora: vt ſi dicas, Petrus qui fuit fuit eſt doctus: vbi ly Petrus reſtringitur pro Petro præterito: vel quoad genus: vt ſi ſupponamus, quod ly aliquis ſignificat ſolum maſculos, cum dicitur, aliquis homo currit, ly homo reſtringitur, vt accipiatur pro ſolis maſculis, & non pro fœminis: vel poteſt eſſe reſtrictio quoad ſuppoſita, & prouenire termino vel ex aliquo adiectiuo adiuncto, vel ex aliqua copula implicationis: vt reſtringitur pro ſolum

hominibus currentibus ſubiectum harum propoſitionum, homo currens diſputat, homo qui currit diſputat, reſtrictione ibi proueniente in prima propoſitione ab adiectiuo *currens*, & in ſecunda à copula implicationis, quæ eſt *currit*.

§. II.

Regula ampliationis.

5 EX diuerſis capitibus poteſt prouenire ampliatio & reſtrictio. Ad quod aliquæ ſtatuuntur regulę. Prima, verbum præteriti temporis ampliat ante ſe quoad præſens,& præteritum, & reſtringit poſt ſe quoad præteritum: verbum autem futuri temporis ampliat ante ſe quoad præſens & futurum, & poſt ſe reſtringit pro futuro: in hac enim propoſitione, album fuit nigrum, ly album, quia præponitur ad ly fuit,ampliatur vt ſupponat pro albo quod eſt, vel fuit album, & ly nigrum, quia ſubſequitur ad ly fuit, reſtringitur pro nigro quod fuit. Et caſu quo ſit aliquis homo, qui hodie ſit albus, & heri niger, propoſitio erit vera: quia habebit aliquam ſingularem, quæ verificetur. Vt patet per reſolutionem ampliationis & reſtrictionis, dicendo, hoc eſt, vel fuit album,& hoc fuit nigrum. Similiter in hac propoſitione, album erit nigrum,verbum ani-

ampliat ſubiectum, vt accipiatur pro illo quod eſt, vel erit album; & reſtringit prædicatum, vt ſupponat ſolum pro nigro, quod erit nigrum.

6 Secunda regula. Terminus ſignificans actionem, per quam fit aliqua res, ampliat terminum ſignificantem rem factam, quoad illud quod eſt, vel erit: & terminus ſignificans deſtructionem alicuius rei ampliat terminum ſignificantem rem deſtructam, ad illud quod eſt, vel fuit: vt in hac propoſitione, Petrus ædificat domum, ly domus ampliatur, & accipitur pro domo, quæ eſt, vel erit domus: & in hac, Petrus deſtruit domum, ly domus ampliatur & accipitur pro domo, quæ eſt, vel fuit domus.

7 Tertia regula. Terminus ſignificans prioritatem, ampliat terminum cui applicatur pro illo, quod eſt, vel erit, terminus vero ſignificans poſterioritatem, ampliat terminum, cui applicatur pro illo, quod eſt, vel fuit: Vt ſi dicas, Petrus eſt prior Antichriſto, ly Petrus ampliatur, & accipitur pro Petro qui eſt, vel erit: & ſi dicas, Petrus eſt poſterior Adamo, ly Petrus ampliatur, & accipitur pro Petro, qui eſt vel fuit.

8 Quarta regula. Terminus ſignificans inceptionem, ampliat terminum, cui applicatur, pro illo, quod eſt, vel immediatè erit: vt ſi dicas, motus incipit eſſe; motus accipitur pro motu, qui eſt, vel immediatè erit. Terminus autem ſignifi-

cans definitionem, ampliat terminum cui applicatur, pro illo quod eſt, vel immediatè ante fuit: vt ſi dicas, motus definit eſſe, ly motus accipitur pro motu, qui eſt vel immediatè ante fuit.

9 Quinta regula. Ly poteſt & ly poſſibiliter ampliant omnes terminos, vt accipiantur pro omnibus præſentibus, præteritis, futuris, vel poſſibilibus. Et ſimiliter terminus ſignificans potentiam ad eſſendum, vt factibile, generabile, producibile; ampliat teminum cui applicatur vſque ad poſſibilia.

10 Sexta regula. Ly imaginario, vel verbum imaginatur ampliat omnes terminos vſque ad imaginabilia; hoc eſt vt accipiantur pro præſentibus, præteritis, futuris, poſſibilibus, vel imaginabilibus. Licet enim apud phiſicum tantum ſint tres differentiæ temporis, præſens, præteritum, & futurum: Dialecticus tamen conſiderat alias duas, ſcilicet poſſibile & imaginarium. Alias regulas ampliationis conſtituunt aliqui, ſed iſtæ, quæ ſunt magis in vſu, ſufficiunt.

§. III.

Loci arguendi in reſtrictione, & ampliatione.

11 QVia non reſtrictum in ordine ad reſtrictum, & amplum in or-

ordine ad non amplum comparatur, vt ſuperius ad inferius, inde aliqui deducuntur loci arguẽdi in reſtrictione & ampliatione: qui licet poſſint ſeorſum ſtatui in reſtrictione, ac in ampliatione; ſolum illos in reſtrictione ſtatuimus: ſupponentes quod eodem prorſus modo poſſunt fieri in ampliatione, ſi ponatur amplum loco non reſtricti, & non amplum loco reſtricti.

12 Duplex igitur, & vterque trimembris ſtatuitur locus arguendi in reſtrictione. Primus, à non reſtricto ad reſtrictum cum diſtributione non reſtricti, & poſita conſtantia reſtricti, valet affirmatiuè conſequentia: & negatiue valet ſine conſtantia reſtricti: ſine diſtributione non reſtricti, nec affirmatiuè, nec negatiuè eſt bona conſequentia. Ponere conſtantiam reſtricti nihil eſt aliud, quam affirmare exiſtentiam illius, pro quo ſupponit terminus reſtrictus. Exemplum primæ partis huius loci eſt hæc conſequentia, omnis homo currit: & homo albus eſt, ergo homo albus currit, quæ eſt optima: & tamen ſi tolleretur conſtantia non eſſet bona: & caſu quo eſſet vnus tantum homo, & ille eſſet niger, antecedens eſſet verum, & conſequens falſum. Exemplum ſecundæ partis eſt in hac conſequentia, nullus homo currit, ergo nullus homo albus currit: quæ, etiam nulla appoſita conſtantia reſtricti, eſt optima. Exemplum denique tertiæ partis eſt in his conſequen-

tijs, homo currit; ergo homo albus currit: homo nõ currit, ergo homo albus nõ currit: Vtraq; enim propter nõ diſtributionẽ nõ reſtricti eſt mala: & in prima, caſu quo ſint duo homines vnus niger currens, & alter albus, & non currens, antecedens erit verũ, & conſequens falſum. Et in ſecunda, caſu quo ſint duo homines vnus albus & currens, & alter niger non currens, antecedens erit verum, & conſequens falſum.

13 Secundus locus arguendi eſt; quod à reſtricto ad non reſtrictum negatiuè ſine diſtributione non reſtricti, & poſita conſtantia reſtricti, eſt bona conſequentia: affirmatiuè autem etiam ſine conſtantia reſtricti valet: cum diſtributione autem non reſtricti, nec affirmatiuè, nec negatiuè eſt bona conſequentia, ſiue cum conſtantia, ſiue ſine conſtantia reſtricti. Exemplum primæ partis eſt in hac conſequentia, homo albus nõ currit, & homo albus eſt, ergo homo non currit, quæ eſt optima: & tamen ſi non apponeretur cõſtantia reſtricti, non eſſet bona, & caſu, quo vnus tantũ eſſet homo, & ille eſſet niger & currens, antecedens eſſet verum, vtpote negatiua, de ſubiecto non ſupponente, & conſequens eſſet falſum: ſiquidem vnam tantum haberet in tali caſu ſingularem, & illa eſſet falſa. Exemplum ſecundæ partis eſt in hac conſequentia, homo albus currit, ergo homo currit: quæ etiam non appoſita conſtantia reſtricti, eſt optima. Exemplum denique tertiæ partis

eſt

eſt in his cõſequentijs, nullus homo albus currit, ergo nullus homo currit, nullus homo albus currit,& homo eſt; ergo nullus homo currit : omnis homo albus currit, ergo omnis homo currit : quæ omnes conſequentiæ propter diſtributionem non reſtricti,ſunt malæ:& in prima & in ſecũda conſequentia dabitur antecedens verũ & conſequens falſum caſu, quo ſint duo homines vnus albus & non currens, & alter niger & currens. In tertia dabitur antecedens verum & conſequens falſum caſu, quo ſint duo homines vnus albus & currens, & alter niger & non currens.

CAPVT XIX.

De alienatione.

BReuiſſime in hoc capite aliam termini exiſtentis in propoſitione proprietatem, ſcilicet alienationem, explicabimus : cui etiam adiungi poſſunt remotio & diminutio termini. Alienatio enim *diſtractio termini à propria ad impropriam ſignificationem* : vt cum terminus, qui duplex habet ſignificatum, alterum proprium, & alterum improprium,& qui, ſi ratione alicuius non diſtraheretur, vt acciperetur pro improprio ſignificato,ſtaret quidem; & acciperetur pro ſuo proprio

prio ſignificato, iuxta regulam, quam libro præcedenti ſtatuimus; quod analogū per ſe ſumptum ſtat pro famoſiori ſignificato. Talis enim terminus ſi ratione alicuius diſtrahatur, vt accipiatur pro ſuo ſignificato, dicitur alienari. *Vt* in hac propoſitione, homo eſt pictus, ly homo alienatur, quia per prædicatum *pictus*, iuxta aliam regulam; talia ſunt ſubiecta qualia præmittuntur ab eorum prædicatis; trahitur vt ſtet ſolum pro homine picto, & diſtrahitur à propria ad impropriā ſignificationem. Alienatio autem poteſt prouenire ſubiecti à prædicato: vt in exemplo adducto, vel cuiuslibet termini à tota propoſitione: vt si dicas, Petrus eſt quidam leo. Vbi per communem modū accipiendi hanc propoſitionem, ille terminus leo alienatur; vt ſtet non pro vero leone, ſed pro homine crudeli. Non tamen poteſt prouenire propria alienatio termini ſubſtantiui ab adiectiuo illi adiūcto, vel à copula implicationis: vt si dicas, homo pictus eſt pulcher, vel homo qui eſt pictus, eſt pulcher: tunc enim potius ly homo reſtringitur pro homine picto, quam alienatur.

2 Remotio eſt *cum ratione alicuius adiuncti, impoſſibilis redditur terminus totaliter à ſuppoſitione*: vt cum termino ſubſtantiuo adiungitur adiectiuum illi repugnās: vt si dicas, homo irrationalis currit, in ſubiecto talis propoſitionis eſt remotio ſuppoſitionis.

3 Di-

3 Diminutio denique eſt *limitatio termini à totali ad partialem ſignificationem* : vt ſi dicas, Ætiops eſt albus ſecundum dentes, ly albus diminuitur : nam cum poſſet applicare totum ſignificatum ad totum ſubiectum, de quo prædicatur : ratione illius particulæ diminutiuæ *ſecundum*, ſolum applicat illud ad partem ſubiecti, ſcilicet addentes.

CAPVT XX.

De appellatione.

§. I.

Quid & quotuplex ſit appellatio.

APpellatio, quæ eſt proprietas termino in propoſitione competens, & maxime cognitu neceſſaria, eſt *applicatio ſignificati formalis vnius termini ad ſignificatum formale alterius*. In qua definitione *applicatio*, ponitur loco generis. omnis enim terminus poſitus in propoſitione applicat ſuum ſignificatum ad ſignificatum alterius: Differt tamen appellatio ab applicatione non appellatiua, per id quod in definitione additur, nempè quod ſit *applicatio ſignificati formalis vnius termini ad ſignificatum formale alterius*.

rius. Terminus enim non appellans, licèt applicet ſuum ſignificatum ad ſignificatum alterius termini: non tamen ad ſignificatum formale, ſed ad materiale illius. In appellatione igitur denotatur, ſignificatum formale termini appellantis competere ſubiecto non abſolutè quidem ſed ratione ſignificati formalis termini appellati: vt in hac propoſitione, Petrus eſt magnus Logicus, magnitudo denotatur conuenire Petro, non abſolutè quidem, ſed ratione Logicæ. Vnde ſi ſit peritus in Logica, etiam ſi nec corpore, nec in vllo alio ſit magnus, propoſitio eſſet vera, & è contra, ſi non ſit peritus in Logica, quamuis in corpore, vel in aliquo alio eſſet magnus, propoſitio eſſet falſa.

2 Appellatio altera eſt realis, & altera rationis. Appellatio realis eſt *applicatio ſignificati formalis realis vnius termini ad ſignificatum formale alterius.*: vt in hac propoſitione, Petrus eſt magnus Logicus. Appellatio rationis eſt *applicatio ſignificati formalis, quod ſit aliquid rationis*: vt in hac propoſitione homo eſt ſpecies, applicatur ſignificato formali ſubiecti ſignificatum formale prædicati, quod vtique eſt aliquid rationis.

§. II.

§. II.

Regulæ appellationis realis.

3 DVæ ſtatuuntur regulæ appellationis realis. Prima, quod cum ſubſtantiuum & adiectiuum ponitur ex parte diuerſi extremi, adiectiuum non applicat ſuum ſignificatum formale ad ſignificatum formale ſubſtantiui, ſed ad ſignificatum materiale illius, vt in hac propoſitione, Petrus Logicus eſt magnus, ly magnus non applicat ſuum ſignificatum ad formale Logici, ſed ad ſignificatum materiale illius, nec denotatur magnitudinem competere Petro ratione Logicæ, ſed abſolutè competere illi. Vnde ſi Petrus eſſet parum peritus in Logica, corpore tamen eſſet magnus, propoſitio eſſet vera.

4 Aduerſus hanc regulam obijcies. Quod in his propoſitionibus, hæc albedo eſt intenſa, ſimilitudo eſt intenſa; videtur eſſe appellatio ſignificati formalis illius prædicati *intenſa* ſupra ſignificatum formale albedinis & ſimilitudinis; & tamen adiectiuum *intenſa*, & illa ſubſtantiua videlicet albedo & ſimilitudo non ponuntur ex parte eiuſdem extremi: Ergo etiam ſi ſubſtantiuum & adiectiuum non ponantur ex parte eiuſdem extremi aliquando eſt appellatio realis. Maior probatur nam hic

hic ſyllogiſmus non valet, hæc albedo eſt intenſa, & hæc albedo eſt ſimilitudo. Ergo ſimilitudo eſt intenſa. Caſu enim quod Petrus habeat albedinem intenſam vt ſex, & per illam fit ſimilis Petro habenti albedinem vt duo; maior & minor prædicti ſyllogiſmi erit vera, & concluſio falſa: & tamen in tali ſyllogiſmo nullus alius videtur eſſe defectus, niſi quòd in maiori, & concluſione variatur appellatio, & in maiori ly intenſa applicat ſuum ſignificatum formale ſupra ſignificatum formale albedinis, & in concluſione applicat illud ſupra ſignificatum formale ſimilitudinis. Ergo re vera in talibus propoſitionibus inuenitur appellatio realis. §. Reſpondetur negando maiorem & ad probationem dico talem ſyllogiſmum eſſe malum non propter diuerſam appellationem, ſed propter diuerſam applicationem ad diuerſum materiale: quia licet demus albedinem & ſimilitudinem realiter identificari, ad minus diſtinguuntur formaliter. Vnde ſignificatum materiale huius termini *albedo*, eſt diuerſum formaliter à ſignificato materiali huius termini *ſimilitudo*. Vnde vt in talibus propoſitionibus non variaretur applicatio ſignificati formalis ad ſignificatum materiale ſubiecti, deberet ſubiectum vtriuſque propoſitionis habere idem formaliter ſignificatum materiale, & cum non habeat illud, variatur applicatio ad diuerſum materiale, quod eſt ſufficiens vitiare conſequentiam: quia cum

cum albedo & ſimilitudo ſint termi abſtracti, non ſupponunt pro ſubiecto, quamuis in eodem ſubiecto reperiantur, ſed pro ipſis formis formaliter ſumptis. Vnde in talibus terminis coincidit ſignificatum formale & materiale, imò re vera non habent ſignificatum materiale: ac perinde applicando prædicatum, *intenſa*, in prædictis propoſitionibus ſuum ſignificatum formale ad vnicum ſignificatum, quod habet quodlibet horum nominum albedo & ſimilitudo, applicat illud ad ſignificatum formale illorum: & tamen in prædictis propoſitionibus non eſt propriè appellatio, nam ad id requiritur quòd habeat terminus appellatus tam formale, quàm materiale, vt non ſupra illius materiale, ſed ſupra formale eius ſignificatum, terminus appellans ſuum applicet ſignificatum formale.

5 Secunda regula eſt: Cum adiectiuum & ſubſtantiuum ponuntur ex parte eiuſdem extremi eſt appellatio realis. Vt in his propoſitionibus, Petrus magnus logicus diſputat, Petrus eſt magnus logicus: in vtraque enim quia adiectiuum magnus, & ſubſtantiuum logicus ponuntur ex parte eiuſdem extremi, eſt appellatio realis: eſt enim applicatio ſignificati formalis illius termini magnus ſupra ſignificatum formale illius termini logicus, & denotatur magnitudinem competere Petro ratione logicæ. Intelligitur hæc regula, quando adiectiuum & ſubſtantiuum non ſigni-

ſignificant formas diſparatas, vt ſi dicas, Petrus eſt muſicus albus. Tunc enim quamuis ponantur ex parte eiuſdem extremi non eſt appellatio realis, nec denotatur albedinem conuenire Petro ratione muſicæ.

§ III.

Regula appellationis rationis.

6 ALiæ duæ ſunt regulæ appellationis rationis. Prima, quod prædicatum ſecundæ intentionis conueniens rebus & non vocibus appellat ſupra ſignificatum formale ſubiecti. Vt in hac propoſitione, homo eſt ſpecies, quia prædicatum eſt ſecundæ intentionis conueniens rebus & non vocibus facit ſuppoſitionem ſimplicem, ac perinde facit accipi ſubiectum pro ſuo formali ſignificato, id eſt non pro indiuiduis, ſed pro natura communi, quæ cum non detur communis niſi prout concepta ab intellectu, facit accipi ſubiectum pro natura humana, prout concipitur conceptu communi, ac perinde applicat prædicatum ſuum ſignificatum formale ad ſignificatum formale ſubiecti, quod eſt appellare ſupra illud. Diximus in regula prædicatum ſecundæ intentionis conueniens rebus & non vocibus, quia ſi conueniat ipſis vocibus ſeu terminis, vt prædicatum harum propoſitionum, homo eſt no-

nomen, homo eſt terminus: nec facit ſubiectum ſupponere ſimpliciter, ſed potius materialiter, nec appellat ſupra ſignificatum formale ſubiecti, imò nec aplicat ſuū ſignificatum, ad aliquod ſignificatum ſubiecti, ſed ad ipſam vocem, quæ non pro ſuo ſignificato, ſed pro ſe ipſa accipitur in tali propoſitione.

7 Secunda regula verbum ſignificans actum animi interiorem, appellat & applicat ſuum ſignificatum formale ſupra ſignificatum formale termini in quem fertur. Vt ſi dicas, cognoſco hominem denotatur me cognoſcere hominem non abſolutè ſed ſub ratione hominis. Et ſi dicas, cupio delectari, denotatur me concupiſcere delectationem ſub ratione delectabilis. Imò & ad verbum ſignificans actionem ſenſus exterioris extenditur hæc regula. Vt cum dico video parentem, aut audio parentem, denotatur quod tunc iudico per intellectum, illum quem video aut audio, eſſe parentem. Si autem acuſatiuus antecedit verbum, non eſt huiuſmodi appellatio. Vt ſi dicas hominem cognoſco, venientem cognoſco, non denotatur me cognoſcere illum ſub ratione venientis, ſed quod abſolute illum cognoſco.

8 Vnde in hac appellatione valet conſequentia ab appellante ad non appellantem, non vero è contra. Vt hæc eſt bona conſequentia cognoſco venientem: ergo venientem cognoſco: è conuerſo autem

tem non valet, ſcilicet venientem cognoſco: ergo cognoſco venientem. In alijs autem appellationibus quomodocumque varietur appellatio, ſiue ab appellatione ad non appellationem, ſiue à non appellatione ad appellationem, ſiue ab appellatione ſupra vnum ſignificatum formale ad appellationem ſupra aliud ſignificatum formale, variatur conſequentia. Vt hæc eſt mala, Petrus logicus eſt magnus: ergo Petrus eſt magnus logicus, quia in antecedenti non eſt appellatio, & eſt appellatio in conſequenti: & ſi Petrus ſit magnus corpore, & imperitus in logica, antecedens eſt verum & conſequens falſum. Et hæc eſt mala. Petrus eſt magnus logicus: ergo Petrus logicus eſt magnus, quia eſt appellatio in antecedenti & non in conſequenti: & ſi Petrus ſit peritus in Logica & corpore puſillus, antecedens eſt verum & conſequens falſum: denique hæc eſt mala conſequentia, Petrus eſt indiuiduum: ergo homo eſt éſt indiuiduum. Et ſimiliter iſta, homo eſt ſpecies, ergo animal eſt ſpecies: quia licet in vtraque conſequentia videatur argui ab inferiori ad ſuperius affirmatiue; variatur tamen apappellatio, quia prædicatum vtriuſque antecedentis applicat ſuum ſignificatum formale ſupra diuerſum ſignificatum formale, ac illud applicat in conſequenti, & ita antecedens vtrunque eſt verum & conſequens falſum.

§. IV.

§. IV.

Regulæ pro nominibus numeralibus.

9 LIcet nomina numeralia non propriè appellent, quia tamen habent in numeratione aliquam ſimilitudinem appellationis, communiter hic de illis agitur, duæque de ipſis ſtatuuntur regulæ. Prima nomen numerale primitiuæ ſpeciei, vt vnus, duo, tres &c. adiunctum termino ſubſtantiuo numerat formas; adiunctum vero termino adiectiuo numerat ſuppoſita; hanc regulam ſtatuit. D.Thom. 1.par. quæſt.36. art.4. & quæſt.39. art.5. Et prima pars regulæ intelligitur, quod nomen numerale additum termino ſubſtantiuo numerat principaliter formas, licèt ad pluralitatem requirat vt conditionem etiam pluralitatem ſuppoſitorum. Ex quo infertur cum D.Thom. 3.par. q.3. art.6. ad 1. Quod ſi tres perſonæ diuinæ aſſumerent eandem naturam humanam, non dicerentur tres homines, ſed vnus homo, ſicut defacto non dicuntur tres Dij, ſed vnus Deus, quia vt dicantur tres Dij, & in illo caſu dicerentur tres homines, deficit ratio formalis & principalis pluralitatis, ſcilicet pluralitas formarum, quas nomen numerale additum illis terminis ſubſtantiuis Deus vel homo principaliter numeratur. Sequitur etiam cum eodem

D. Tho.

D.Thom. in eadem quæſt.art.7.inſolutione ad 2. Quod ſi vna perſona diuina duas ſimul aſſumeret humanitates, non dicerentur duo homines, ſed vnus homo. Et hoc quidem propter defectum pluralitatis ſuppoſitorum, quia licet nomen numerale additum ſubſtantiuo principaliter numeret formas, ad pluralitatem tamen exigit vt conditionem, pluralitatem ſuppoſitorum.

10 Secunda autem pars regulæ, nempè quod nomen numerale additum adiectiuo numerat ſuppoſita, abſque aliqua limitatione eſt certa, quia cum in adiectiuo principale quod importatur ſit ſuppoſitum, illud eſt quod numeratur. Vnde ſi tres homines eandem numero haberent albedinem dicerentur tres albi, ita vt ad pluralitatem, nec vt conditio requiratur pluralitas albedinis. Et in hoc ſtat differentia prædictorum nominum numeralium cum aduntur ſubſtantiuo termino, ac cum applicantur termino actdiectiuo.

11 Secunda regula, quæ minorem habet difficultatem eſt, quod nomen numerale denominatiuum cuilibet termino adijciatur, numerat concretum cui adiungitur: & ita, ſi concretum ipſum ſub aliqua ratione fuerit vnum, & ſub alia fuerit binum, vel trinum, poteſt vtramq; denominationem accipere, & ea ratione dicimus, Deum eſſe vnum & trinum, quia eſt vnus in natura, & trinus in perſonis.

CA-

CAPVT XXI.

De oppoſitione.

§. I.

De ſubalternis.

INcipimus agere de proprietatibus propoſitionis in ordine ad alteram, quæ ſunt oppoſitio, æquipollentia, & conuerſio, & prius eſt agendum de oppoſitione. Et quamuis ſubalternatio non ſit propriè oppoſitio, nec propoſitiones ſubalternæ ſint propriè oppoſitæ tamen quia habent quaſi oppoſitionem reſpectiuam, de illis agitur in oppoſitionibus, & vt ab hoc expediti de propria oppoſitione poſſimus tractare; aliquid prius dicemus de ſubalternis.

2 Propoſitiones igitur ſubalternæ ſunt illæ; quæ conſtant eiſdem terminis eodem ordine poſitis eiuſdem qualitatis, vtraque ſcilicet affirmatiua, vel vtraque negatiua, & vna eſt particularis, & altera vniuerſalis: vt iſtæ, omnis homo eſt animal, aliquis homo eſt animal: & iſtæ, nullus homo eſt animal, aliquis homo non eſt animal. Et ex illis propoſitio vniuerſalis dicitur ſubalternans, & particularis ſubalternata. Et à ſubalternante ad ſubalter-

natam valet conſequentia, non vero à ſubalternata ad ſubalternantem.

3 Subalternatio autem alia eſt de modo, & de lege. Vt inter propoſitiones, quæ habent prædictum modum,& ab vniuerſali ad particularem eſt bona conſequentia,& non è contra. In hoc enim ſecundo, conſiſtit lex ſubalternarum. Alia autem eſt ſubalternatio de lege ſolum, vt quæ reperitur inter propoſitiones eiuſdem qualitatis, cùm ratione alicuius vniuerſalitatis, & particularitatis ſincathegorematicæ, vel modalis, vna propoſitio ſubalternatur alteri. Vt propoſitiones eiuſdem quantitatis eorundem terminorum, ſi vna ſit copulatiua, altera diſiunctiua, hæc ſubalternatur copulatiuæ, vt patet in iſtis, Petrus currit, & Paulus loquitur: Petrus currit,vel Paulus loquitur. Et vniuerſaliter in omnibus propoſitionibus eiuſdem qualitatis conſtantibus eiſdem extremis, ſi vniuerſalitas vnius mutetur in particularitatem, & non maneret in vtraque eadem particularitas, efficiuntur ſubalternæ. Vt iſtæ propoſitiones. Omne animal fuit in arca Noe. Ly omnes completè accepto eſt ſubalternas huius: omne animal fuit in arca Noe, ly omne incomplete accepto, quia prima æquiualet, huic, cuiuſcumque ſpeciei animalis quodlibet animal fuit in arca Noe. Et ſecunda æquiualet huic, cuiuſcumque ſpeciei animalis aliquod animal fuit in arca Noe. Et hæc propoſitio, aliquod ani-

animal fuit in arca Noe, ly aliquod complete accepto ſubalternatur huic, aliquod animal fuit in arca Noe, ly aliquod incomplete particularizante. Et ſimiliter propoſitio de ly vterque complete ſumpto eſt ſubalternans propoſitionis de ly vterque incomplete accepto: ac denique propoſitio de ly alter complete particularizante ſubalternatur propoſitioni de ly alter incomplete accepto, ſi vtraque ſit eiuſdem qualitatis, vt conſtabit ex earum reſoluentibus, iuxta reſolutionem quam huiuſmodi ſignis completis & incompletis aſſignauimus ſupra cap.16.§.7.

§. II.

Quid & quotuplex ſit oppoſitio.

4 QVamuis omni oppoſitioni, contradictoriæ ſcilicet, contrariæ & ſubcontrariæ nõ poſſit propriè aſſignari aliqua vna ratio communis: ac perinde nec poſſit propriè oppoſitio in communi definiri, aliqualiter tamen ſub diſiunctione deſcribitur; quod oppoſitio ſit affirmatio & negatio eiuſdem de eodem veritate & falſitate, aut ſola veritate, aut ſola falſitate formaliter repugnantes. Primũ videlicet quod ſit affirmatio & negatio eiuſdem de eodem, ponitur pro omni triplici oppoſitione, in omni enim illæ propoſitiones debent eſſe eiuſdem de eo-

dem, & oppoſitæ qualitatis, id eſt, vna affirmatiua, altera negatiua. Illa autem particula, pugnantes in veritate & falſitate, ponitur pro cõtradictorijs quod pugnent ſolum in veritate, ponitur pro contrarijs, Et quod pugnent ſolum in falſitate, ponitur pro ſubcontrarijs.

5. Intelligitur autem in omni triplici prædicta oppoſitione, quod propoſitiones vt ſint oppoſitæ debent eſſe eiuſdem de eodem, id eſt, eiuſdem prædicati & ſubiecti, & quæ media eadẽ copula vniũtur. Iſtæ enim propoſitiones, Petrus eſt albus, Petrus non fuit albus, quamuis ſint eorumdem extremorum, quia diuerſa copula vniuntur, non ſunt oppoſitæ: & debent etiam eſſe eiuſdem de eodem, ita vt ſi aliquod extremum vel copula vnius propoſitionis aliqua determinatione in illa afficiatur, eadem determinatione afficiatur etiam in altera propoſitione. Vnde iſtæ propoſitiones, Petrus heri fuit albus, Petrus nudiùs tertius non fuit albus, non ſunt oppoſitæ, quia copula diuerſam determinationem habet, & iſtæ, Petrus docte diſputat, Petrus expedite nõ diſputat, non ſunt oppoſitæ, quia prædicatum diſputat, diuerſa in vna, ac in altera afficitur determinatione.

6. Requiritur etiam ad omnem oppoſitionem, quod in propoſitionibus oppoſitis eadem ſeruetur reſtrictio, ampliatio, & appellatio: & eadem ſuppoſitio, quoad genus ſuppoſitionis, non autem quoad

ſpe-

ſpeciem ſuppoſitionis determinatæ, vel vniuerſalis: (hæc enim mutatur in cõtradictorijs.) Imò licet huiuſmodi conditio quantum ad id quod ſeruetur eadem reſtrictio terminorum in vtraque propoſitione oppoſita debeat, cum omni rigore obſeruari in contradictorijs: non ita in contrarijs & ſubcontrarijs: aliquãdo enim propoſitiones, quæ apparenter videbantur contradictoriæ, ratione alicuius reſtrictionis in affirmatiua, quæ non ſit in negatiua, efficiuntur contrariæ, vt ſunt illæ: Omnis homo non currit, aliquis homo currit, ſi in affirmatiua ly aliquis reſtringat pro maſculis. Et aliquando ratione reſtrictionis in negatiua, quæ non ſit in affirmatiua efficiuntur ſubcontrariæ: vt illæ quilibet homo non currit, homo currit, si in negatiua ly quilibet reſtringat pro maſculis.

7 Oppoſitio autem eſt duplex, alia de modo & lege ſimul, quando videlicet modus & lex oppoſitionis ſeruatur: alia de lege tantum, vt quando ſeruatur lex oppoſitionis, non tamen modus illius. Quis autem ſit modus, & quæ lex, cuiuſuis oppoſitionis, explicabimus §. ſequenti.

§. III.

Modus & lex cuiuſuis oppoſitionis.

8 MOdus & forma oppoſitionis cõtradictoriæ eſt, quòd ſit inter duas propoſitiones oppoſitæ qualitatis quarum vna ſit vniuerſalis, & altera particularis ſeu indefinita. Lex autem contradictoriarum eſt, quod pugnent in veritate & falsitate, nec poſſit vtraque simul eſſe vera, aut simul eſſe falſa, ſed si vna eſt vera, altera ſit falſa, & si vna eſt falſa, altera ſit vera: quod vtique fundatur in illo vniuerſali principio, quodlibet eſt, vel non eſt: quod non eſſet verum, si poſſent ex duabus contradictorijs vtraque eſſe simul vera, vel vtraque simul falſa. Poſſunt autem aliquæ eſſe contradictoriæ de lege simul & modo, vt iſtæ nullus homo currit, homo currit. Poſſunt & aliæ eſſe contradictoriæ ſolum de lege, & non de modo, vt contradictoriæ in terminis singularibus, & in quibuſcunque terminis ſuppoaentibus simpliciter ſeu immobiliter. Vt iſtæ ſunt contradictoriæ, Petrus dſputat, Petrus non diſputat, & iſtæ, homo eſt ſpecies, homo non eſt ſpecies, & iſtæ, si homo volat habet alas, nō si homo volat habet alas: ac deniq; iſtæ, quia homo eſt rationalis, homo eſt risibilis, non quia homo eſt rationalis, homo

eſt riſibilis: quia cum in omnibus his propoſitionibus termini ſupponant ſingulariter. vel quaſi ſingulariter, & immobiliter, non oporiet ad contradictionem quod mutetur quantitas illorum,

9 Modus contrariæ oppoſitionis eſt, quod ſit inter duas propoſitiones vniuerſales oppoſitæ qualitatis, affirmatiuam ſcilicet. & negatiuā. Lex autem cōtrariorium eſt, quod pugnent in veritate, & nō in falsitate, id eſt, quod non poſſint dari ſimul veræ, poſsint dari tamen ſimul falſæ: & quod non poſsint dari ſimul veræ patet, nam si duæ cōtrariæ, v. g. illæ omnis homo eſt albus, nullus homo eſt albus, poſſent eſſe ſimul veræ, poſſent eſſe ſimul veræ & duæ contradictoriæ: nam bene valet, omnis homo eſt albus, ergo homo eſt albus à ſubalternante ad ſubalternatam, ergo si vniuerſalis eſt vera, etiam hæc particularis, quæ infertur ex illa, ſed hæc eſt cōtradictoria vniuerſalis negatiuæ, ergo illæ eſſent ſimul veræ, si ſimul verę eſſent vniuerſalis affirmatiua, & vniuerſalis negatiua. Ex eo autem quod contrariæ poſſent eſſe ſimul falſæ, non ſequitur contradictorias poſſe eſſe ſimul falſas, quia poſſunt ſubalternantes vniuerſales eſſe falſę, et particulares earum ſubalternatę eſſe veræ: Cum in bona conſequentia poſſit antecedens eſſe falſum, et conſequens verum. Poſſunt autem aliquæ propoſitiones eſſe contrariæ de modo ſimul et lege, vt communiter contingit, vt ſunt iſtę: omnis

homo eſt albus, nullus homo eſt albus: Poſſunt autem aliæ propoſitiones eſſe contrariæ de lege tantum. Vt cùm in affirmatiua eſt aliqua reſtrictio vel quaſi reſtrictio (qualis eſt ſingularitas) quæ non eſt in negatiua. Vt iſtæ ſunt contrariæ ſolum de lege, nullus homo diſputat, Petrus diſputat, & iſtæ, nullus homo diſputat aliquis homo diſputat, ſi ly aliquis in affirmatiua & non in negatiua reſtringat pro maſculis.

10 Modus oppoſitionis ſubcontrariæ eſt, quod verſetur inter duas propoſitiones particulares ſeu indefinitas eorundem terminorum & oppoſitæ qualitatis. Lex autem ſubcontrariarum eſt, quod pugnent in falſitate, & non in veritate: id eſt, quod poſſint ſubcontrariæ dari ſimul veræ, non tamen ſimul falſæ; quia ſi duæ ſubcontrariæ, ver.gr. iſtæ homo diſputat, homo non diſputat, eſſent ſimul falſę, contradictoria vtriuſque particularis eſſet vera, ſcilicet, iſtæ, nullus homo diſputat, omnis homo diſputat, ſed ſi iſtæ, cum ſint contrariæ, ſint ſimul verę iam oſtendimus poſſe dari duas contradictorias ſimul veras. Hoc igitur inconueniēs ſequeretur, si duæ ſubcontrariæ eſſent ſimul falſę, nempe quod duę contradictorię poſſent eſſe ſimul verę: & directe etiā abſque eo quòd recurramus ad inconueniens prędictum, ſequitur ex eo quod duę ſubcontrarię, v.g. iſtę homo eſt albus, homo non eſt albus, eſſent ſimul falſę, duas

con-

contradictorias poſſe eſſe ſimul falſas; nam benè valet, omnis homo eſt albus, ergo homo eſt albus, ergo ſi conſequens eſt falſum, etiam antecedens: Sed illud eſt propoſitio contradictoria illius particularis, homo non eſt albus, ergo si hęc sit falſa cum altera particulari, homo eſt albus; tunc erunt ſimul falſę iſtę contradictorię, omnis homo eſt albus, homo nõ eſt albus. Ex eo autem quod duæ ſubcõtrarię dentur ſimul verę, nullum ſequitur inconueniens; quia ſolum ſequeretur dari duas contrarias ſimul falſas, quod oſtendimus non eſſe inconueniens. Poſſunt autem eſſe ſubcontrarię de lege, ſimul & modò, vt in exemplo adducto; & vt communiter contingit. Poſſunt & aliquę eſſe ſubcontrarię de lege tantum; vt cum in negatiua eſt aliqua reſtrictio, quę non eſt in affirmatiua; vt iſtę ſunt ſubcontrarię de lege, quilibet, homo non diſputat, homo diſputat; si in negatiua ly quilibet reſtringat pro maſculis.

12 Cùm in lege autem contrariarum & ſubcontrariarum diximus, contrarias poſſe eſſe ſimul falſas, & ſubcontrarias poſſe eſſe ſimul veras, intelligitur, quod poſſit id contingere in ipſis contrarijs vel ſubcontrarijs, vel in alijs ſimilis formę: nã si ſint in materia naturali vel remota, nõ puſſunt in ſe ipſis dari ſimul falſę, vel ſimul verę, ſed poterunt dari in alijs propoſitionibus ſimilis formę in materia cõtingenti. Ad ſimilitudinem autem formę

vnius propoſitionis cum altera, vel duarum, aut plurium propoſitionum cũ alijs, vel vnius conſequentiæ cum altera, debet in omnibus eſſe ſimilitudo: id eſt, quod conſtent ſimilibus terminis, ſimili modo ordinatis: ſolum ſit diuerſitas ſuppoſitionis penes naturalem & accidentalem. Exempli gratia: iſtæ duæ contrariæ, omnis homo eſt animal, nullus homo eſt animal, quia ſunt in materia naturali nõ poſſunt in ſeipſis eſſe ſimul falſæ, nec ſimul veræ iſtæ ſubcontrariæ, homo eſt animal, homo non eſt animal, propter eandem rationem: poſſunt tamen contrariæ ſimilis formæ; omnis homo eſt albus, nullus homo eſt albus, eſſe ſimul falſæ: & ſubcõtrariæ ſimilis formæ, ſcilicet iſtę, homo eſt albus, homo non eſt albus, eſſe ſimul veræ. Et ſunt iſtæ ſimilis formæ cũ illis: quia ſolum variatur materia de contingenti in naturalem, & ſuppoſitiò perinde de naturali in accidentalem.

§. IV.

Conditiones cuiuslibet ſpecialis oppoſitionis.

12 Conditio contradictoriarum, eſt, quod omnis vniuerſalitas vnius propoſitionis mutetur in altera in particularitatem, & omnis particularitas

ritas in vniuerſalitatem. Et intelligitur in hac & ſequentibus conditionibus hæc mutatio particularitatis & vniuerſalitatis tam cathegorematicæ, quam ſyncathegorematicæ, id eſt particularitas & vniuerſalitas ſubiecti vel prædicati, & particularitas verbi, & verbi futuri vel præteriti: quod cum ſit quaſi terminus communis potens ſupponere diuiſim pro diuerſis partibus temporis præteriti vel futuri; ſi verbum afficiatur negatione, quaſi diſtribuitur pro omni tali differentia temporis: ſin minus, manet particulare & poteſt verificari diuiſiuè de hac vel illa differentia temporis: & particularitas & vniuerſalitas aduerbialis, vt vniuerſalitas huius copulæ *&*, atque huius aduerbij *ſemper*, & *nunquam*, & particularitas copulæ *vel*, & aduerbij *aliquando* vel *interdum*. Defectu huius conditionis iſtæ non ſunt contradictoriæ, Petrus ſemper diſputat, Petrus numquam diſputat; ſed contrariæ: quia vniuerſalitas de ly *ſemper* non mutatur in altera propoſitione in particularitatem. Nec iſtæ ſunt contradictoriæ, Petrus aliquando diſputat, Petrus aliquando non diſputat, ſed ſubcontrariæ: quia particularitas de ly *aliquando* non mutatur in altera propoſitione in vniuerſalitatem. Nec ſunt contradictoriæ iſtæ duæ copulatiuæ, Petrus diſputat & Petrus currit, Petrus non diſputat & Petrus non currit, ſed ſunt con-

trarię: quia manet in vtraque eadem vniuerſalitas de ly *&*. Et denique nec ſunt contradictorię iſtę duæ diſiunctiuę, Petrus diſputat vel Petrus currit, Petrus nõ diſputat vel Petrus non currit, ſed ſunt ſubcontrarię: quia manet in vtraque eadem particularitas de ly *vel*. Nam abſq; aliqua exceptione (vt diximus) in contradictorijs omnis vniuerſalitas vnius debet mutari in altera in particularitatem, & omnis particularitas in vniuerſalitatem.

13 Conditio contrariarum eſt, quod particularitas vnius mutetur in altera in vniuerſalitatem; ita vt non poſſit manere in vtraque eadem particularitas: poteſt tamen manere in vtraque eadem vniuerſalitas, licèt id non ſit neceſſarium ad contrarietatem ſaltem de lege, vt patet in iſtis propoſitionibus, nullus homo eſt albus, Petrus eſt albus, quę habent legem contrariarum, licèt non maneat in vtraq; aliqua eadem vniuerſalitas.

Conditio ſubcontrarium eſt, quod omnis vniuerſalitas vnius mutetur, in altera in particularitatem; ita vt non poſſit in vtraque manere eadem vniuerſalitas: poterit tamen in vtraq; manere eadem particularitas.

14 Ex his conditionibus infertur regula generalis: quod ſi in aliquibus propoſitionibus maneat eadẽ aliqua vniuerſalitas & eadem aliqua particularitas, non ſunt oppoſitę: quia nulla ex tribus

po-

poſitis conditionibus eis competit. Vnde quia hęc signa vterque & neuter incompletè ſumpta includunt vniuerſalitatem, & particularitatem, iſtæ propoſitiones vterque, homo currit neuter, homo currit: vtraque incompletè, non ſunt oppoſitæ, & eadem ratione nec iſtæ, omne animal fuit in arca Noe, nullum animal fuit in arca Noe; ſi vtraque incompletè accipiatur. Et quia ly alter, & ly aliquod incompletè acceptum includit etiam vniuerſalitatem & particularitatem, iſtę non ſunt oppoſitę, alter homo currit, alter homo non currit; ſi vtraque incompletè accipiatur: nec iſtæ, aliquod animal fuit in arca Noe aliquod animal non fuit in arca Noe vtraque incompletè. Et dictę propoſitiones poſſunt dari ſimul verę & ſimul falſę; vt ex earum reſoluentibus conſtat, iuxta modū, quo talia ſigna incompleta reſolui diximus ſupra cap. 16 §.7.

15 Ab hac vniuerſali regula excipiuntur propoſitiones copulatiuę cum aliqua pars vnius eſt contraria vel contradictoria alicui parti alterius copulatiuę, tunc enim etiam ſi maneat in vtraque copulatiua eadem aliqua particularitas, & eadem aliqua vniuerſalitas, ſunt contrarię, vt iſtæ: omnis homo currit, & aliquis homo diſputat, nullus homo currit, & aliquis homo non diſputat; quę, licèt in vtraque maneat eadem vniuerſalitas d

ly

ly *&*, & eadem vniuerſalitas ſubiecti primæ cathegoricæ, & eadem particularitas ſubiecti ſecundæ cathegoricæ: quia tamen prima pars primæ copulatiuæ opponitur contrariè primæ parti ſecundæ copulatiuæ, ipſæ copulatiuæ ſunt contrariæ, & non poſſunt dari ſimul veræ, licèt poſſint dari ſimul falſæ. Et idem dico de iſtis duabus copulatiuis, omnis homo diſputat, & aliquis homo currit; aliquis homo non diſputat, & aliquis homo non currit: quia prima pars vnius copulatiuæ opponitur contradictoriè primæ parti alterius copulatiuæ.

16 Similiter excipiuntur propoſitiones diſiunctiuæ, cum aliqua pars vnius diſiunctiuæ opponitur ſubcontrariè, vel cõtradictoriè alicui parti alterius diſiunctiuæ; tunc enim licèt maneat in vtraque diſiunctiua aliqua eadem vniuerſalitas, & aliqua eadem particularitas, ſunt ſubcontrariæ, & non poſſunt dari ſimul falſæ, licèt poſſint dari ſimul veræ: vt patet in his duabus diſiunctiuis, homo diſputat, vel omnis homo currit: homo non diſputat, vel nullus homo currit. Et in iſtis, omnis homo diſputat, vel omnis homo currit: aliquis homo non diſputat, vel nullus homo currit: in quibus prioribus diſiunctiuis licèt maneat in vtraque eadem particularitas de ly *vel*, & eadem particularitas ſubiecti priorum cathegoricarum, & eadem vniuerſalitas ſubiecti poſteriorũ cathegoricarum; quia tamen

prima

prima pars vnius diſiunctiuæ opponitur ſubcontrariè primæ parti alterius diſiunctiuæ; ipſæ diſiunctiuæ ſunt ſubcontrariæ & poſſunt dari ſimul veræ, non tamen ſimul falſæ. Et in poſterioribus diſiunctiuis, quamuis maneat in vtraque diſiunctiua eadem particularitas de ly *vel*, & eadem vniuerſalitas ſubiecti ſecundæ partis vtriuſque diſiunctiuæ, quia tamen prima pars vnius diſiunctiuæ opponitur contradictoriè primæ parti alterius diſiunctiuæ; ipſæ diſiunctiuæ ſunt ſubcontrariæ, & non poſſunt eſſe ſimul falſæ, benè tamen ſimul veræ: vt ſi ſint duo tantum homines, & vterque diſputet, & nullus currat.

§. V.

Regulæ ad cognoſcendum contrarias, & ſubcontrarias.

17 QVia, vt diximus, aliquæ ſunt contrariæ & ſubcontrariæ de modo & de lege, aliæ autem de lege tantum; licèt ad cognoſcendum contrarias & ſubcontrarias primi generis, non eſſent neceſſariæ aliquæ regulæ, requiruntur tamen ad cognoſcendum contrarias & ſubcontrarias ſecundi generis. Vnde ad id duæ regulæ aſſignantur.

Prima regula, datis duabus propoſitionibus oppoſitæ qualitatis, ſi affirmatiua in-

inferat contradictoriam negatiuæ, & non inferatur ex illa, illæ ſunt contrariæ. Vnde contrariæ ſunt iſtæ de lege, nullus homo currit, Petrus currit: quia affirmatiua infert contradictoriam negatiuæ, ſcilicet hanc, homo currit, & non infertur ex illa. Et per eandem regulam conſtabit, plures propoſitiones, quæ modum & formam non habent contrariarum, re vera eſſe contrarias de lege, & legem habere contrariarum. Prima autem pars regulæ probatur: nam ex eo quod ex duabus propoſitionibus oppoſitæ qualitatis affirmatiua inferat contradictoriam negatiuæ, ſequitur illas pugnare in veritate, & ex eo quod affirmatiua non inferatur ex contradictoria negatiuæ, ſequitur illas non pugnare in falſitate: ergo ex tali regula adæquate ſequitur tales propoſitiones habere legem contrariarum. Prima pars antecedentis probatur. Nam ſi affirmatiua infert contradictoriam negatiuæ; ſi affirmatiua eſt vera, contradictoria negatiuæ erit vera. Sed ſi contradictoria negatiuæ eſt vera, ipſa negatiua erit falſa: ergo ex prima parte regulæ ſequitur, quod ſi affirmatiua ſit vera, negatiua erit falſa: ac perinde quod pugnent in veritate. Quod autem ex ſecunda parte regulæ ſequatur, illas propoſitiones non pugnare in falſitate, probatur. Nam ſi affirmatiua non infertur ex contradictoria negatiuæ, poterit contradictoria negatiuæ eſſe vera, & affirmatiua falſa (id enim contingere poteſt in ma-

mala conſequentia) ſed ſi contradictoria negatiuæ eſſet vera, tunc erit falſa ipſa negatiua, ergo ex ſecunda parte regulæ ſequitur tales duas propoſitiones poſſe ſimul falſas.

18 Secunda regula. Datis duabus propoſitionibus oppoſitæ qualitatis, ſi affirmatiua inferatur ex contradictoria negatiuæ, & non inferat illam ſunt ſub contrariæ de lege: vt iſtæ, nullus homo albus currit, homo currit. Nam affirmatiua infertur ex contradictoria negatiuæ, videlicèt ex iſta, homo albus currit, & non infert illam. Et ſic conſtabit, plures propoſitiones, quæ modum & formam non habent ſubcontrariarum, re vera eſſe ſubcontrarias de lege, & legem habere ſubcontrariarum. Prima pars regulæ probatur. Nam ex eo quod affirmatiua inferatur ex contradictoria negatiuæ ſequitur, affirmatiuam & negatiuam pugnare in falſitate: & ex eo quod affirmatiua non inferat contradictoriam negatiuæ, ſequitur, affirmatiuam & negatiuam non pugnare in veritate: ergo ex vtraque parte prædictæ regulæ ſequitur, tales propoſitiones habere legem ſubcontrariarum. Antecedens quoad primam partem probatur. Nam ſi affirmatiua infertur ex contradictoria negatiuæ, ſi affirmatiua eſt falſa, etiam contradictoria negatiuæ debet eſſe falſa (quia in bona conſequentia, ſi conſequens eſt falſum, etiam & antecedens) ſed ſi contradictoria negatiuæ eſt falſa,

ipſa

ipſa negatiua erit vera: ergo ex eo quod affirmatiua inferatur ex contradictoria negatiuæ, ſequitur, affirmatiuam & negatiuam pugnare in falſitate: ex eo autem quod affirmatiua non inferat contradictoriam negatiuæ, colligitur, affirmatiuam & negatiuam non pugnare in veritate. Nam ſi affirmatiua non infert contradictoriam negatiuæ, poteſt affirmatiua eſſe vera, & contradictoria negatiuæ falſa (id enim contingere poteſt in mala conſequentia) ſed ſi contradictoria negatiuæ ſit falſa; ipſa negatiua erit vera, ergo ex eo quod affirmatiua non inferat contradictoriam negatiuæ, ſequitur, affirmatiuam & negatiuam poſſe eſſe ſimul veras.

CAPVT XXII.

De æquipollentijs.

Aequipollentia eſt *æquiualentia quoad ſenſum & veritatem aliquarum propoſitionum diuerſum modum & formam terminorum habentium*. Nam ſi eundem proſus modum & formam habeāt terminorum, potius dicuntur propoſitiones identicæ, ſeu eadem propoſitio repetita, quam dicantur propoſitiones æquipollentes. Et quamuis æquipollentia reperiatur inter quaslibet propoſitiones reſolubiles & earum reſoluentes; quia ſpecia-

cialiter propoſitiones oppoſitæ ſint per appoſitionem & poſt poſitionem negationis æquipollentes, ad id cognoſcendum tres ſtatuuntur regulæ.

2 Prima regula eſt, propoſitiones contradictoriæ, ſi vni cuilibet illarum præponatur negatio neganter & non infinitanter ſumpta, fiunt æquipollentes. Quia enim iſtæ ſunt contradictoriæ, omnis homo currit, aliquis homo non currit; ſi affirmatiuæ v.g. præponatur negatio, & dicas, non omnis homo currit, fit æquipollens negatiuæ: & ſi negatiuæ præponatur negatio & dicas, non aliquis homo non currit, fit æquipollens affirmatiuæ, ſcilicet illi, omnis homo currit: & ſic poteſt exemplificari in omnibus contradictorijs.

3 Secunda regula. Propoſitiones contrariæ, ſi vni cuilibet illarum poſtponatur negatio fiunt æquipollentes: quia enim iſtæ ſunt contrariæ, omnis homo currit, nullus homo currit, ſi affirmatiuæ poſtponatur negatio, & dicas, omnis homo non currit, fit æquipollens negatiuæ: & ſi negatiuæ poſtponatur negatio, & dicas, nullus homo non currit, fit æquipollens illius affirmatiuæ, omnis homo currit. Intelligitur autem hæc regula dummodo propoſitiones contrariæ ſint conſuetè, & in vtraque ſit completa, & abſque aliqua reſtrictione diſtributio: aliàs non tenet prædicta regula: vt iſtæ ſunt contrariæ de lege, omnis homo albus currit: nullus homo

mo currit: quia affirmatiuã infert contradictoriam negatiuæ, & non infertur ex illa, & tamẽ ſi affirmatiuæ poſtponatur negatio, & dicas, omnis homo albus non currit, nõ fit æquipollens illius negatiuæ, nullus homo currit: quia licet prædictæ propoſitiones ſint contrariæ, non eſt in vtraque diſtributio completa, ſed in affirmatiua illius, ſcilicet, omnis homo albus currit, diſtribuitur ſubiectum incomplete; & dependenter à reſtrictione de ly albus, & ſic in ijs contrarijs non tenet prædicta æquipollentiæ regula: ſicut nec tenet in iſtis vterque homo currit, nullus homo currit: quia licèt ſint contrariæ, etiam ſi affirmatiuæ poſtponatur negatio, non fit æquipollens negatiuæ, & iſtæ denique ſunt contrariæ, alter homo currit, nullus homo currit: & etiam ſi affirmatiuæ poſtponatur negatio, non fit æquipollens negatiuæ, quia alter, neuter, & vterque dicunt reſtrictionem duorum.

4 Tertia regula. Propoſitiones ſubalternæ ſi vni illarum præponatur, & poſtponatur negatio fiunt æquipollentes: quia enim iſtæ ſunt ſubalternæ, omnis homo currit, aliquis homo currit; ſi vniuerſali præponatur & poſtponatur negatio, & dicas, non omnis homo non currit, fit æquipollens illius particularis, aliquis homo currit: & ſi particulari præponatur, & poſtponatur negatio, & dicas, non aliquis homo non currit, fit æquipollens illius vniuerſalis, omnis homo currit. §. Iſtæ

tres

tres regulæ continentur hoc verſu.

Præ contradic, poſt contra, pro poſtq; ſubalter. Ideſt, contradictoriæ fiunt æquipollentes præpoſita vni illarum negatione: contrariæ poſtpoſita vni illarum negatione: & ſubalternæ præpoſita & poſtpoſita vni illarum negatione.

5 Non dantur autem regulæ æquipollentiarum pro ſubcontrarijs, quia illæ ſi poſſent fieri æquipollentes, deberet eſſe per poſtpoſitionem negationis, & ſi vni ſuis contrariarum, v.g. iſtarum, homo currit, homo non currit, poſtponeretur negatio; ſi poſtponeretur negatiuæ fieret propoſitio incongrua: ſi autem poſtponeretur affirmatiuæ, illa non fieret æquipollens negatiuæ, ſed potius identica cum illa, & ſic de ſubcontrarijs quantum ad æquipollentiam non datur regula.

CAPVT XXIII.

De conuerſionibus.

§. I.

Quid & quotuplex ſit conuerſio.

Conuerſio, quæ eſt tranſmutatio extremorum vnius propoſitionis in alteram, ita vt quod in vna pro-

poſitione erat prædicatum, in altera ſit ſubiectum, & quod in vna erat ſubiectum ſit in altera prædicatum; poteſt in communi accepta,& vt ab omni abſtrahit conuerſione, ſic aliqualiter definiri. Conuerſio eſt *vnius propoſitionis in aliã per tranſmutationem extremorum conſequentia formalis*. Dicitur *per tranſmutationem extremorum*; quia in conuerſione debent mutari extrema, ita vt in conuertenti de prædicato conuertibili fiat ſubiectum, & de ſubiecto prædicatum, vel ſaltem contradictorium prædicati conuertibilis fiat in conuertente ſubiectum, & contradictorium ſubiecti quod erat in conuertibili, fiat in conuertenti prædicatum: vt comprahendatur in hac definitione conuerſio per contra poſitionem. §. Propoſitio autem de verbo adiectiuo, aut de ly, eſt, ſecundo adiacente debet conuerti medio participio incluſo in verbo, & per copulam *eſt*: vt hæc, homo eſt, in hanc, ens eſt homo, & hæc homo diſputat, in hanc, diſputans eſt homo: quia quantum ad æquiualentiam verbum prædictarum conuertibilium eſt complexum, licèt formaliter ſit incomplexum.

Dicitur autem in definitione conuerſionis quod debet eſſe vnius propoſitionis ad aliam conſequentia formalis: quia in omni conuerſione ſaltem à conuertibili ad conuertentem debet eſſe conſequentia formalis, licet non in omni (vt in conuerſione per accidens) valeat conſequentia

à con-

conuertente ad conuertibilem.

2 Hinc ſequitur quod cum in conſequentia formali non debeat variari genus ſuppoſitionis, reſtrictio, ampliatio, & appellatio; obſeruandum eſt in omni conuerſione, vt fiat rectè & ſit conſequentia formalis, ne varientur in conuertibili & conuertente huiuſmodi proprietates Logicales: ex defectu enim huius obſeruationis pluries vitiatur conuerſio; vt hæc propoſitio, Deus factus eſt homo, non rectè conuertitur in hanc, homo factus eſt Deus, neque ex illa ad iſtam valet conſequentia: cum prima propoſitio, teſte D.Tho. 3.p. quæſt.16. art.6. ſit vera. Secunda autem, teſte eodem D.Thom.art.7. ſit falſa: quia in prima ly *factus* appellat ſupra humanam naturam, & in ſecunda appellat ſupra naturam diuinam: vnde vt non varietur appellatio, prædicta propoſitio, Deus factus eſt homo, debet conuerti in iſtam, homo qui factus eſt homo, eſt Deus. Hæc etiam propoſitio album fuit nigrum, non rectè conuertitur in hanc, nigrum fuit album: quia variatur reſtrictio, & ampliatio; in prima enim propoſitione ly album ampliatur pro albo quod eſt vel fuit, & ly nigrum reſtringitur pro nigro quod fuit nigrum: in ſecunda autem è contra, ly nigrum ampliatur & ly album reſtringitur: *V*nde ſi ſit ſolùm Petrus qui hodie incipiat eſſe albus, & heri fuit niger; prima prædicta propoſitio erit vera & ſecunda falſa; & ita vt rectè talis prima pro-

po-

poſitio abſque variatione ampliationis & reſtrictionis commettatur, debet conuerti in iſtam, nigrum quod fuit nigrum, eſt vel fuit album. Et ſemper (vt dixi) in conuerſione eſt obſeruandum, quod in conuertibili & conuertente eadem fit omnium extremorum reſtrictio, ampliatio & appellatio, eademque ſuppoſitio quoad genus: id eſt, quod non varietur de ſimplici in perſonalem, de propria in impropriam, de materiali in formalem, & de naturali in accidentalem, licet poſſit variari de vniuerſali in particularem, vt in conuerſione per accidens.

3 Triplex autem eſt conuerſionis ſpecies, conuerſio, ſcilicet ſimplex, conuerſio per accidens, & conuerſio per contra poſitionem. De ſingulis autem huiuſmodi ſpeciebus ſeorſum in ſequentibus eſt agendum.

§. II.

Quid ſit conuerſio ſimplex, & quibus propoſitionibus competat.

4 Conuerſio ſimplex eſt, *conſequentia vnius propoſitionis ad aliam cum transſmutatione prædicati & ſubiecti; ſeruata eadem quantitate, & qualitate propoſitiones.* Vt hæc propoſitio, aliquis homo eſt albus, conuertitur ſimpliciter in hanc, aliquod al-

album eſt homo: quia in illa tranſmutantur extrema, & ex prædicato conuertibilis fit in conuertenti ſubiectum, & ex ſubiecto prædicatum, & non mutatur quantitas, aut qualitas propoſitionis, ſed eandem conuertens & conuertibilis habet quantitatem & qualitatem. Diciturque talis conuerſio ſimplex; quia in illa non mutatur aliquod accidens, qualitas videlicet aut quantitas propoſitionis, ſed præciſè fit per tranſmutationem extremorum.

In conuerſione autem ſimplici eſt formalis & mutua conſequentia à conuertibili ad conuertentem, & à conuertente ad conuertibilem. Vt benè valet, aliquis homo eſt animal, ergo aliquod animal eſt homo; & è conuerſo, aliquod animal eſt homo, ergo aliquis homo eſt animal.

5 Propoſitiones quæ poſſunt conuerti ſimpliciter, ſunt vniuerſalis negatiua, & particularis affirmatiua, (& quod quoad conuerſionem dixerimus de propoſitione particulari, pariter intelligendum eſt de indefinita, immò & de propoſitione ſingulari) vniuerſalem autem negatiuam, & particularem affirmatiuam eſſe conuertibiles ſimpliciter, vt hæc, nullus homo eſt albus, in hanc, nullum album eſt homo, & hæc, homo eſt albus in hanc, album eſt homo, conſtat, quia ab vna ad alteram eſt mutua formalis conſequentia.

§ III.

Quid ſit conuerſio per accidens, & quibus propoſitionibus competat.

COnuerſio per accidens eſt *conſequentia formalis vnius propoſitionis ad alteram per tranſmutationem extremorum ſeruata eadem qualitate, non tamen eadem quantitate propoſitionis*: vt hæc propoſitio, omnis homo eſt albus, conuertitur per accidens in iſtam, aliquod album eſt homo: quia tranſmutantur extrema, & de prædicato vniuerſalis fit in propoſitione particulari ſubiectum, ac de ſubiecto prædicatum, & manet eadem qualitas, licet non eadem quantitas in vtraque propoſitione: & dicitur conuersio per accidens, quia in conuerſione aliquod accidens, ſcilicet quantitas mutatur propoſitionis. Non eſt autem conuerſio per accidens mutua conſequentia: quia licèt, valeat à conuertibili ad conuertentem, non tamen à conuertenti ad conuertibilem: quia arguitur in illa à non diſtributo ad diſtributum.

7 Conuertuntur autem per accidens propoſitio vniuerſalis affirmatiua, & vniuerſalis negatiua: vt hæc, omnis homo eſt albus, conuertitur in hanc, aliquod album eſt homo: vt patet, quia à conuertibili ad conuertentem eſt bona conſequentia: & hæc,

hæc, nullus homo eſt albus, conuertitur in hanc, aliquod album non eſt homo; quia etiam à conuertibili ad conuertentem eſt bona conſequentia: vt à poſteriori colligitur, cum in talibus conſequentijs non poſſit dari antecedens verum, & conſequens falſum.

§. IV.

Loci arguendi cum variatione prædicati penes finitum & infinitum.

§ CVm conuerſio per contrapoſitionem fundetur in duabus regulis, ſeu locis arguendi ab Ariſtot.2. periher. aſſignatis, illos oportet in hoc §. præmittere, vt in ſequenti, conuerſionem per contrapoſitionem explicemus. Eſt igitur primus locus arguendi; ab affirmatiua ad negatiuam, variato prædicato pœnes finitum & infinitum, ita vt ſi in affirmatiua prædicatum fuerit finitum, ponatur in negatiua in finitum: & è contra, ſi in affirmatiua prædicatum fuerit infinitum, ponatur in negatiua finitum. Hæc enim eſt bona conſequentia; Petrus eſt non albus, ergo Petrus non eſt albus: & ſimiliter iſta, Petrus eſt albus, ergo Petrus non eſt non albus. Et fundatur hic locus arguendi in eo quod duo termini contradictorij non poſſunt ſimul verificari de eodem:

aliàs duæ propoſitiones contradictoriæ poſſent eſſe ſimul veræ.

9 Secundus locus arguendi eſt à negatiua ad affirmatiuam cum conſtantia ſubiecti, & variatione prædicati pœnes finitum & infinitum: hæc enim eſt bona conſequẽtia: Petrus non eſt albus, & Petrus eſt, ergo Petrus eſt non albus. Et ſimiliter iſta, Petrus non eſt non albus, & Petrus eſt, ergo Petrus eſt albus: & dicitur debere poni conſtantiam ſubiecti: quia ſine illa non valeret conſequentia: & illa non poſita, caſu quod non eſſet Petrus, antecedens vtriuſque prædictæ conſequentiæ eſſet verum, & conſequens falſum.

10 Regula iſta intelligitur, in propoſitionibus, in quibus non variatur appellatio: ſi enim appellatio varietur aliquando, non tenent prædictæ regulæ; vt hæc eſt mala conſequentia: Petrus eſſentialiter non eſt albus: ergo Petrus eſſentialiter eſt non albus, quia cum Petrus eſſentialiter non dicat eſſe album, vel eſſe nõn album, verum eſt dicere quod eſſentialiter non eſt albus, id eſt quod non eſt eſſentiale illi eſſe album, & falſum eſt dicere, quòd eſſentialiter eſt non albus.

§. V.

§. V.

Quid ſit conuerſio per contrapoſitionem, & quibus propoſitionibus competat.

11 CONuerſio per contrapoſitionem eſt *conſequentia vnius propoſitionis ad alteram, in qua contradictorium prædicati propoſitionis conuertibilis ſit ſubiectum, & contradictorium ſubiecti ſit prædicatum, ſeruata eadem qualitate & quantitate propoſitionum*, in tali conuerſione conſequentia eſt mutua à conuertibili ad conuertentem, & à conuertente ad conuertibilem. Conuertuntur autem per contrapoſitionem propoſitio vniuerſalis affirmatiua, vt hæc propoſitio, omnis homo eſt albus, conuertitur in hanc, omne non album eſt non homo, quod ſic probatur, quia benè valet per primam regulam §. præcedenti poſitam, omnis homo eſt albus, ergo omnis homo non eſt non albus: rurſus benè valet per conuerſionem ſimplicem, omnis homo non eſt non albus, ergo omne non album nun eſt homo: & etiam benè valet per ſecundam regulam §. præcedenti poſitam, omne non albũ non eſt homo, & non albũ eſt, ergo omne nõ albũ eſt non homo: ergo de primo ad vltimũ ſequitur, omnis homo eſt albus, ergo omne nõ albũ eſt nõ homo:

non quidem abſolutè,ſed poſita conſtantia ſubiecti conſequentis: alias caſu quo ſolum eſſent in mundo homines, & illi eſſent albi, antecedens eſſet verum, & conſequens, vtpotè propoſitio affirmatiua de ſubiecto non ſupponente, eſſet falſum.

12 Conuertitur etiam per contrapoſitionem particularis negatiua, vt iſta, homo non eſt albus, in hanc, non album non eſt non homo, quod ſic probatur, nam benè valet per ſecundam præcedentem regulam homo non eſt albus,& homo eſt, ergo homo eſt non albus: & rurſus benè valet per conuerſionem ſimplicem particularis affirmatiuæ, homo eſt non albus,ergo non album eſt homo: ac denique benè valet per primam præcedèntem regulam, nõ album eſt homo,ergo non album non eſt nõ homo: ergo de primo ad vltimum benè ſequitur, homo non eſt albus, ergo non album non eſt non homo; non quidem abſolutè, ſed ſuppoſita conſtantia ſubiecti conuertibilis: aliàs ſine tali conſtantia prædicta conſequentia eſſet mala, & caſu quo nullus eſſet homo, & omnia alia quæ exiſterent entia, eſſent alba, antecedens eſſet verum, & conſequens falſum.

13 Ex dictis ſequitur, quod cum dicitur vniuerſalem affirmatiuam eſſe conuertibilem per contrapoſitionem, debet intelligi, ſi ponatur conſtantia ſubiecti propoſitionis conuertentis, & cum dicitur particularem negatiuam eſſe conuertibilem per contrapoſitionem, debet intelli-

gi,

gi, ſi ponatur conſtantia ſubiecti propoſitionis conuertibilis.

14 Ex dictis etiam in toto hoc capitulo quaſi per recopilationem ſequitur, propoſitionem vniuerſalem, negatiuã particularemque affirmatiuam eſſe conuertibilem ſimpliciter: propoſitionem autem vniuerſalem negatiuam, & vniuerſalem affirmatiuam eſſe conuertibilem per accidens; ac denique propoſitionem vniuerſalem affirmatiuam, & particularem negatiuam eſſe conuertibilem per contrapoſitionem: quod & his verſibus continetur.

Simpliciter feci, conuertitur Eua per acci,
Aſto per contra, ſic fit conuerſio tota.

Vt autem quid prædicti denotent verſus, explicetur, aduerte, quod littera A, denotat vniuerſalem affirmatiuam; E, vniuerſalem negatiua, I, particularem affirmatiuam, & O, particularem negatiuam, quod & his verſibus ſignificatur.

Aſſerit A, negat E, ſunt vniuerſaliter ambo.
Aſſerti, I, negat O, ſunt particulariter ambo.

Hoc igitur ſuppoſitio cũ dicitur in prioribus verſibus *ſimpliciter feci*, ſignificatur, quod vniuerſalis negatiua, & particularis affirmatiua denotatæ per duas litteras vocales illius dictionis, *f ci*, conuertuntur ſimpliciter: cum dicitur, *conuertitur Eua per accidens* ſignificatur, quod vniuerſalis negatiua, & vniuerſalis affirmatiua denotatæ per duas vocales illius dictionis; *Eua*, conuertuntur per accidens: ac denique cum dicitur *Aſto per contra*, ſignificatur

quòd vniuerſalis affirmatiua, & particularis negatiua denotatæ per duas vocales illius dictinctionis *Aſto*, conuertitur per contrapoſitionem.

CAPVT XXIV.

De modalibus.

§. I.

Quæ & quotuplex ſit propoſitio modalis.

SPecialiſſima eſt propoſitionum modalium quoad earum æquipollentiā & oppoſitionem ratio; ideo ſpecialiter de illis; qua potuerimus diſtinctione & claritate, eſt agendum. Propoſitio igitur alia eſt propoſitio de in eſſe, id eſt, quę nullo modificatur modo; alia autē modalis, id eſt, quæ aliquo afficitur modo. Modus autem eſt *ad iacens rei determinatio*. Et licèt multiplex ſit; quoad præſens duplex poteſt diſtingui: alius videlicet, qui determinat rem ſignificatam per aliquod extremum propoſitionis, vt iſte modus *velociter*, in hac propoſitione, Petrus velociter currit: alius autem eſt modus, qui determinat ipſam compoſitionē propoſitionis: & iſti ſunt ſex, ſcilicet poſſibile, contingens impoſſibile, neceſsè, verum, & falſum,

ſum. Si enim dicas; Petrum diſputare eſt poſſibile, ſeu Petrus poſſibiliter diſputat; non determinatur ſola diſputatio, ſed tota compoſitio propoſitionis; & denotatur, poſſibilem eſſe conuenientiam diſputationis cum Petro: quia tamen propoſitiones, in quibus modus determinat ſolùm rem ſignificatam, & non compoſitionem totius propoſitionis, nihil habent ſpeciale quoad æquipollentiam, & oppoſitionem præ alijs propoſitionibus nullo affectis modo, non eſt de illis ſpecialiter agendum, ſed ſolum de propoſitionibus modalibus, in quibus modus determinat totam compoſitionem propoſitionis.

2 Ex ſex autem prædictis modis, quia verum & falſum nihil addunt ſupra ſimplicem propoſitionem: idem enim eſt dicere; Petrus diſputat, ac Petrus verè diſputat, ſeu Petrum diſputare eſt verum: ideo de modalibus affectis duobus illis modis, ſcilicet verum & falſum, non eſt ſpecialiter agendum, ſed ſolum de modalibus affectis aliquo ex alijs quatuor modis: quia quilibet illorum aliquid addit ſupra ſimplicem enunciationem. Qui enim dicit, Petrum diſputare eſt poſſibile, aut Petrum diſputare eſt neceſſe; aliquid amplius dicit, quam qui ſolùm dicit, quod Petrus diſputat, ſcilicet, quod conuenientia diſputationis cum Petro es poſſibilis, vel neceſſaria: de modalibus igitur ſolum affectis aliquo ex quatuor modis, eſt in præſentiarum

agendum aduerbialiter ſumptis, vel nominaliter ſumptis.

3 Quia tamen in modali propoſitione non tam enunciatur conuenientia, vel non conuenientia prædicati ad ſubiectum, quã modus ipſius conuenientiæ: an videlicèt talis conuenientia ſit poſſibilis, contingẽs, neceſſaria, vel impoſſibilis, vtique in ipſis naturis rerum in variabilibus fundatur: ideo nulla datur propoſitio modalis contingens, & quæ poſſit aliquando eſſe vera aliquando falſa, ſed omnis propoſitio modalis vel eſt neceſſaria, ita vt nunquam poſſit eſſe falſa, vel eſt impoſſibilis, ita vt nunquam poſſit eſſe vera.

§. II.

Diuiſio propoſitionis modalis in modalem compoſitam & diuiſam.

4 CElebris eſt diuiſio propoſitionis modalis in modalem compoſitam & diuiſam, vtpote in qua ſenſus compoſitus & diuiſus ad plures difficultates Theologicas neceſſarius fundatur. Modalis compoſita eſt, in qua modus componit, & coniungit extrema, denotans quòd ſimul, & pro eodem inſtanti poſſint conuenire: vt ſi dicas, album eſſe nigrum eſt poſſibile, denotatur, aliquid poſſe eſſe ſimul album & nigrum: modalis verò diuiſa eſt, in qua

modus non componit, nec coniungit extrema, ſed ſolùm denotat, quòd illa diuiſiuè, & pro diuerſis temporibus poſſint eidem competere: vt ſi dicas, album poſſibiliter eſt nigrum, non denotatur potentia ad coniungendum, & componendum ſimul in eodem ſubiecto album cum nigro; ſed ſolum denotatur, quod aliquod ſubiectum poſſit abſolutè eſſe album, & eſſe nigrum: hoc eſt, quòd habeat potentiam, vt ſucceſſiuè & pro diuerſis temporibus ſit album & ſit nigrum. Et eundem duplicem ſenſum poteſt facere verbum *poteſt*, quia licèt propoſitio tali verbo conſtans, non ſit formaliter modalis, eſt æquiualenter modalis: & hæc propoſitio album poteſt eſſe nigrum, ſi ly poteſt, accipiatur in ſenſu compoſito, æquiualet huic modali cõpoſitæ, album eſſe nigrum eſt poſſibile; & ſi ly poteſt, accipiatur in ſenſu diuiſo, æquiualet huic modali diuiſæ, album poſſibiliter eſt nigrum.

5 Hinc ſequitur, à modali diuiſa de ly poſſibile ad compoſitam de eodem modo non valere conſequentiam; benè tamen è contra: quia plus requirit ad ſui veritatem talis modalis compoſita quã diuiſa à modali autem diuiſa de ly impoſſibile ad modalem compoſitam de eodem modo valet conſequentia, non vero è contra: quia plus requirit ad ſui veritatem talis modalis diuiſa, quam compoſita.

6 Quamuis quamlibet propoſitionem modalem, priuſquàm concedatur vel nege-

tur, tutius ſit diſtinguere, an ſumatur in vi modalis compoſitæ, vel in vi modalis diuiſæ, aliqua ſigna conſtituerunt à dialecticì, vt cognoſcatur, an ſit modalis compoſita, an vero diuiſa. Dicunt quæ aliqui, quod ſi modus conſtituens modalem, ſit nominalis, conſtituit modalem compoſitam, ſi autem ſit aduerbialis, conſtituit modalem diuiſam: ſed hoc non eſt vniuerſaliter verum. Vnde meliùs dicitur, quòd ſi modus, ſiue nominalis, ſiue aduerbialis mediet inter partes dicti, facit modalem diuiſam: vt ſi dicas, album poſſibiliter eſt nigrum, ſeu album poſſibile eſt eſſe nigrũ: ſi autem modus, ſiue nominalis ſiue aduerbialis præcedat, vel ſequatur totum dictum, facit modalem compoſitam: vt iſtæ ſunt modales compoſitæ, poſſibile eſt album eſſe nigrum: album eſſe nigrum eſt poſſibile; poſſibiliter album eſt nigrum: Vnde ſequitur, quòd propoſitio modalis compoſita, in qua modus nominalis ſubſequitur totum dictum, æquiualet modali compoſitæ, in qua modus aduerbialis totum dictum præcedat: vt hæc, album eſſe nigrum eſt poſſibile, æquiualet huic, poſſibiliter album eſt nigrũ. Et hoc eſt maximè aduertendum, vt cognoſcamus, in modali compoſita vniuerſalitatem, vel particularitatem, aut negationem modalis afficere ſubiectum dicti, etiam ſi formaliter aliquando illud non præcedat: quia virtualiter ſaltem ſemper præcedit illud; cum æquiualeat alteri propoſitioni, in qua ſimi-

lis

lis modus aduerbialis præcedit totum dictum propoſitionis.

7 Præter differentiam aſsignatam duplex alia poteſt aſsignari differentia inter modalem compoſitam, & diuiſam. Prima quidem & præcipua eſt, quod modalis compoſita eſt immediate reducibilis in ſuam officiantem, non vero modalis diuiſa. Officians propoſitionis modalis eſt propoſitio, in qua modus importatus in modali affirmatur de propoſitione incluſa in dicto ipſius modalis; vt officians iſtius modalis, album eſſe nigrum eſt poſsibile, eſt iſta, hæc propoſitio, album eſt nigrũ, eſt poſsibilis. Eſſe autem modalem immediatè reducibilem ad ſuam officiantem eſt quod priùs quam modalis alijs reſolutionibus reſoluatur, poſsit immediatè ad ſuã reduci officiantem: ita vt ab ipſa modali ad eius officiantem ſit formulis, & mutua conſequentia. His igitur ſuppoſitis; dicimus in hac differentia, quòd modalis compoſita eſt ſemper immediatè reducibilis in ſuam officiantem; non verò modalis diuiſa: quia cum in modali compoſita coniungantur extrema, & denotetur, quòd poſſunt, vel non poſſunt ſimul conuenire; propoſitio de in eſſe in qua abſque aliqua ampliatione vnum extremum dicitur de alio, erit poſsibilis, ſi modalis verbi gratia, de poſſibili ſit vera; vel erit impoſsibilis, ſi modalis de impoſsibili ſit vera;

vel

vel erit neceſſaria, ſi modalis de neceſſe ſit vera.: & ita modalis compoſita erit ſemper immediatè reducibilis ad ſuam officiantem; non vero modalis diuiſa: quia cũ in modali diuiſa v.g. in iſta, albũ poſſibiliter eſt nigrum, non denotetur, aliquid poſſe eſſe ſimul album & nigrum, ſed quod aliquid abſolutè & diuiſiuè pro diuerſis temporibus poteſt eſſe album & nigrum: quamuis talis modalis, ſit vera, non ſequitur quod propoſitio de ineſſe, in qua abſque aliqua ampliatione album dicitur nigrum, ſit poſſibilis: & ſic modalis diuiſa non eſt immediatè reducibilis, ad ſuam officiantem; ſed vt reducatur ad illam, debet prius per deſcenſum reſolui in ſuas ſingulares, vt prædicta propoſitio in iſtas, hoc album poſsibiliter eſt nigrum, vel hoc album poſſibiliter eſt nigrum: & poſtea quælibet ſingularis reſoluitur in duas propoſitiones modales, in quarum vna vnum extremum affirmetur de ſubiecto, & in altera alterum extremum dicatur de eodem ſubiecto: vt prædicta propoſitio, hoc album poſsibiliter eſt nigrum, reſoluitur in iſtas, hoc poſsibiliter eſt album, & hoc poſsibiliter eſt nigrum, ergo hoc album poſſibiliter eſt nigrum: ac denique quælibet prædictarum reſoluentium poteſt reduci in ſuam officiantem: & valet benè, hoc poſsibiliter eſt album, ergo hæc eſt poſsibilis, hoc eſt album. Modalis igitur diuiſa licèt mediate, & prius factis alijs

illius

illius reſolutionibus, poſſet reduci in ſuam officiantem non tamen poteſt immediate, & ante omnem aliam eius reſolutionem reduci in officiantem: nam ſi immediatè reducatur, non erit mutua à conſequentia à modali diuiſa ad officiantem.

8 Alia differentia ſolet aſsignari inter modalem compoſitam & diuiſam, quod modalis compoſita non eſt quanta, benè tamen modalis diuiſa. Vt tamen hæc differentia verificetur, eſt aduertendum: quod in modali compoſita duplex eſt ſubiectum, alterum ſcilicet totius propoſitionis, quod eſt totum dictum, de quo prædicatur modus: alterum autem eſt ſubiectum ipſius dicti, vt in hac propoſitione, hominem diſputare eſt poſsibile, totum illud dictum ſcilicet hominem diſputare, eſt ſubiectum totius propoſitionis, de quo dicitur ille modus *poſſibile*, quod habet vicem prædicati totius propoſitionis; ipſum tamen dictum habat ſubiectum & prædicatum; & diſputare eſt prædicatum quod dicitur de homine vt de ſubiecto: ſi igitur attendamus in modali compoſita ad totum dictum quod eſt ſubiectum totius propoſitionis, poteſt dici, quòd modalis compoſita non eſt quanta: quia totum dictum ſupponit quaſi immobiliter: ſi tamen attendamus ad ſubiectum ipſius dicti modalis compoſitæ poteſt dici quanta: quia tale ſubiectum ſi ſit terminus communis poteſt di-

diſtribui, vel particularizari: immò (vt §. 4. videbimus) ex diuerſa particularitate vel vniuerſalitate, quam poteſt recipere termini communis, qui fuerit ſubiectum dicti in modali compoſita, diuerſimodè conſtituitur oppoſitio & æquipollentia in modalibus compoſitis de termino communi, ac in modalibus compoſitis de termino ſingulari, id eſt, in quibus ſubiectum dicti fuerit terminus ſingularis, ac perinde incapax diſtributionis, aut particularitatis.

§. III.

De oppoſitione & æquipollentia in modalibus compoſitis de termino ſingulari.

9 DIcetur poſtea de oppoſitione & æquipollētia in modalibus compoſitis de termino communi, in hoc §. vt à faciliori incipiamus, explicabimus oppoſitionem & æquipollentiam in modalibus compoſitis de termino ſingulari, id eſt, in quibus ſubiectum earum dicti fuerit terminus ſingularis; vt eſt iſta, *Petrum diſputare eſt poſsibile*.

10 Vt autem in his oppoſitionem & æquipollentiam conſtituamus, eſt aduertendum, quòd cum in omni modali & ſit dictum & modus; poteſt in modali, vel ſo-

ſolum negari dictum, vel ſolum negari modus, vel vtrumque negari, vel neutrũ denique negari. Et vt in rotulo oppoſitionum ſtatim apponendo agnoſcantur, an propoſitio, cui quælibet littera correſpondet, ſit negatiua de dicto, vel modo, ſupponendum eſt quod littera *E*, denotat propoſitionem debere eſſe negatiuam de dicto, & non de modo: littera *I*, denotat, propoſitionem illi correſpondentem debere eſſe negatiuam de modo & non de dicto: littera *A* denotat, propoſitionem non debere eſſe negatiuam de modo, nec de dicto: & littera *V* denotat, propoſitionem debere eſſe de vtroque negatiuam, ſcilicet, de modo & dicto: quod totum hoc verſu ſignificatur.

E dictum negat, I, qua modum, nihil A, ſed, V, totum.

11 Hoc ſuppoſito quatuor aſsignantur dictiones, quarum quælibet quatuor prædictas continet litteras vocales, & in ſingulis debent conſtitui quatuor propoſitiones modales: prima de *poſsibile* ſecunda de *contingens* (non quidem, vt contingens ſpecialiter ſumitur, prout dicit id, quod poteſt eſſe & poteſt non eſſe, ſed vt ſignificat idem, quod ly *poſsibile*) tertia de *impoſsidile*, & quarta de *neceſſe*: quælibet iuxta qualitatem dicti & modi, quam deſignauerit littera vocalis illi correſpondens: exempli gratia; in hac dictione *amauimus* pri-

prima propoſitio debet eſſe *poſſibile* : & quia correſpondet litteræ *A*, debet eſſe affirmatiua de dicto & modo : vt hæc, Petrum diſputare eſt poſsibile . Secunda propoſitio debet eſſe de *cõtingens*: & quia etiam correſpondet litteræ *A* , debet eſſe affirmatiua de dicto & modo : vt hæc, Petrum, diſputare eſt contingens . Tertia debet eſſe de *impoſſibile*: & quia correſpõdet litteræ *I* , debet eſſe negatiua de modo & non de dicto: vt hæc, Petrum diſputare non eſt impoſsibile . Quarta denique debet eſſe de *neceſſe* : & quia correſpondet litteræ *V*, debet eſſe negatiua de dicto & modo: vt hæc, Petrum non diſputare non eſt neceſſe .

12 His ſuppoſitis quatuor , ſunt dictiones , in quarum ſingulis ordine prædicto : & iuxta qualitatem , quam deſignant litteræ cuiuſque dictionis , debent quatuor conſtitui modales propoſitiones : dictiones autem ſunt . *Purpurea* . *Illiacé*. *Amauimus* . *Edentuli* . Et propoſitiones, quæ ſunt in qualibet dictione , ſunt inter ſe æquipollentes . Et propoſitiones quæ ſunt in prima dictione , ſcilicet in *purpurea* , contrariantur ijs , quæ ſunt in ſecunda dictione , ſcilicet *Illiace* ; & propoſitione quæ ſunt in tertia dictione, ſcilicet in *Amauimus* , ſubcontrariantur ijs quæ ſunt in quarta dictione , ſcilicet in *Edentuli* : & propoſitiones , quæ ſunt in prima dictione, ſcilicet in *purpurea* ſunt contradictoriæ illis quæ ſunt in quarta dictione,

ſci-

ſcilicet in *Edentuli* : & propoſitiones quæ ſunt in ſecunda dictione, ſcilicet in *Illiace* ſunt contradictoriæ ijs, quæ ſunt in tertia dictione, ſcilicèt in *Amauimus* : & denique propoſitiones quæ ſunt in prima dictione, ſcilicet in *purpurea*, ſunt ſubalternantes earum, quæ ſunt in tertia dictione, ſcilicèt *Amauimus*, & propoſitiones, quæ ſunt in ſecunda dictione, ſcilicet *Illiace*, ſunt ſubalternantes earum, quæ ſunt in quarta dictione, ſcilicet in *Edentuli*, vt omnia iſta in ſequenti rotulo poſſunt videri.

1. Dictio.			2. Dictio.		
Æquipollentes.	Pur	Petrum non loqui, nõ eſt poſſibile.	Æquipollentes.	I	Petrum loqui, non eſt poſsibile.
	pu-	Petrum non loqui, nõ eſt cõtingens		li	Petrum loqui, non eſt contingens.
	re-	Petrum non loqui, eſt impoſsibile.		a	Petrum loqui, eſt impoſsibile.
	a.	Petum loqui, eſt neceſſe.		ce	Petrum non loqui, eſt neceſſe.

Contrariæ.

Subalternæ.

Contra dictoriæ.

Contra dictoriæ.

Subalternæ.

Subcontrariæ.

3. Dictio.			4. Dictio.		
Æquipollentes.	a	Petrum loqui, eſt poſſibile.	Æquipollentes.	e	Petrum non loqui eſt poſsibile.
	ma	Petrum loqui, eſt contingeus.		dẽ	Petrum nõ loqui, eſt contingens.
	ui	Petrum loqui, non eſt impoſſibile.		tu	Petrũ nõ loqui, nõ eſt impoſsibile.
	m⁹	Petrum non loqui, non eſt neceſſe.		li.	Petrum loqui, non eſt neceſſe.

§. IV.

§. IV.

De oppoſitione & æquipollentia in modalibus compoſitis de termino communi.

13 VT oppositionem & æquipollentiam in modalibus compoſitis de termino communi explicemus, ſupponenda ſunt, quæ §. præcdenti diximus circa rotulũ æquipollentiæ & oppoſitionis in modalibus cõpoſitis de termino singulari. Et inſuper eſt aduertẽdũ, quòd iam notauimus, quòd videlicet, modus in modali composita formaliter, vel virtualiter ſemper præcedit totum dictũ: quia licèt aliquando formaliter illud ſequatur; æquiualet tamen talis propoſitio alteri in qua similis modus aduerbialis totũ dictũ pręcedit. Hinc autem eſt, quod si modus fuerit negatiuus, vt ſunt iſti modi impoſsibiliter, non poſsibiliter non contingenter, & non neceſſe; negatio talis modi fertur in ſubiectum dicti: ac perinde si illud fuerit terminus communis non diſtributus, diſtribuit illud; & si fuerit terminus communis diſtributus, particularizat illud; quia negatio eſt malignantis naturæ; quod omne quod poſt ſe inuenit, deſtruit, & eius oppoſitum reddit: & sic terminum cõmunem, in quem fertur,

di-

diſtribuit, ſi non eſt diſtributus, & particularizat, ſi ſit diſtributus. Et hinc oritur difficultas conſtituendi oppoſitionem, & æquipollentiam in modalibus compoſitis de termino communi: quia ratione modi negatiui, qui ſubiectum dicti formaliter, vel virtualiter præcedit, reddit illud diuerſæ quantitatis, quàm apparenter videatur habere, vt in hac propoſitione, hominem diſputare eſt impoſſibile; quamuis ſubiectum dicti videatur ſupponere determinatè, re vera ſupponit diſtributiuè ratione negationis incluſæ in illo modo impoſſibile, qui virtualiter præcedit & afficit ſubiectum dicti; & licet in hac propoſitione, omnem hominem diſputare non eſt poſſibile, ſubiectum dicti videatur ſupponere diſtributiuè, re vera ſupponit particulariter ratione negationis illius modi, *non poſſibile*, qui virtualiter prçcedit ſubiectum dicti, & eius deſtruens vniuerſalitatem, reddit illam in particularitatem. Attendendum eſt igitur ad conſtituendam oppoſitionem, & æquipollentia in modalibus compoſitis de termino communi, quod præter quam quod propoſitiones conſtituantur debito modo in rotulis, attendatur etiam ad vniuerſalitatem & particularitatem, non quidem quam apparenter, ſed quam in re habeat ſubiectum dicti. Pro quo cognoſcendo, & ſtatuenda oppoſitione & æquipollentia in prædictis modalibus compoſitis de termino communi, aliquæ ſtatuuhtur regulæ.

14 Pri-

14 Prima regula pro æquipollentibus, vt propoſitione modales compoſitæ de termino communi in eodem rotulo conſtitutæ, ſint æquipollentes, attendendum eſt, quod in re, & non ſolum quoad apparentiam maneat in illis eadem quantitas dicti: quod vtique fiet obſeruando, quod ſi in tribus prioribus propoſitionibus dictum fuerit quoad apparentiam vniuerſale, ponatur in vltima de *neceſſe* apparëter particulare: & è contra in tribus propoſitionibus dictum fuerit apparenter particulare, ponatur in vltima de *neceſſe* apparenter vniuerſale: ſic enim in re in omnibus manebit dictum eiuſdem quantitatis, quia cum in quolibet rotulo, ſi modus in tribus prioribus propoſitionibus negatur, affirmetur in vltima, & è contra ſi in vltima negatur, affirmetur in tribus prioribus ſtatuendo ſic dictum in illis apparenter diuerſæ quantitatis, re vera manebit in omnibus eiuſdem quantitatis.

15 Secunda regula pro cõtradictorijs. Vt propoſitiones modales compoſitæ de termino communi in rotulis contradictorijs, ſint contradictoriæ; attendendum eſt, ne in vtraque in re maneat eadem vniuerſalitas, nec eadem particularitas dicti: quod vtique fiet ſi poſitis propoſitionibus in rotulis contradictorijs, ſi in illis nõ mutetur qualitas dicti, nec apparenter mutetur quantitas, & ſi in illis mutetur qualitas dicti, mutetur apparenter & quantitas: ſic enim in re ſemper mu-

ta-

tabitur in illis quantitas dicti,& non manebit re ipſa in talibus propoſitionibus eadem vniuerſalitas, nec eadem particularitas dicti.

15 Tertia regula pro contrarijs, quod poſſitis duabus modalibus compoſitis de termino communi in rotulis contrarijs, vt ſint contrariæ; attendendum, eſt ne in vtraque reipſa maneat eadem particularitas dicti; quamuis poſſit manere in vtraque re vera eadem vniuerſalitas, licet nec id requiratur: quia in his modalibus, vt ſint contrariæ, ſufficit, quod in vtraque maneat eadem vniuerſalitas modi, & non maneat in vtraque eadem particularitas dicti.

Vt autem hoc obſeruetur eſt regula, quòd poſſitis duabus propoſitionibus modalibus compoſitis de termino communi in rotulis contrarijs, vt re vera contrarientur, requiritur, quod ſi neutra fuerit de *neceſſe*, dictum in vtraque, vel ſaltim in vna debet eſſe quoad apparentiam particulare ſi vero vtraque fuerit de *neceſſe*, dictum in vtraque, vel ſaltim in vna debet eſſe quoad apparentiam vniuerſale, ſi denique vna fuerit de *neceſſe*, altera de alio modo, ſi dictum propoſitionis de *neceſſe* fuerit quoad apparentiam particulare, dictum alterius nō debet eſſe quoad apparentiam vniuerſale, ſi vero dictum propoſitionis de *neceſſe* fuerit quoad apparētiam vniuerſale, dictum alterius propoſitionis poteſt eſſe quod apparentiam,

par-

particulare, vel vniuerſale; ſic enim obſeruabitur, quod in vtraque propoſitione non maneat in re eadem particularitas dicti: quod, vt diximus, requiritur ad earum contrarietatem.

17 Quarta regula pro ſub contrarijs, vt modales compoſitæ de termino communi in rotulis ſubcontrarijs conſtitutæ ſint ſubcontrariæ, eſt attendendum, ne in vtraque re ipſa maneat eadem vniuerſalitas dicti, licèt poſſit manere eadem particularitas; quãuis nec id requiratur, quia in his modalibus, vt ſint ſubcontrariæ, ſufficit vt maneat in vtraque eadem particularitas modi, & non maneat in vtraque eadem vniuerſalitas dicti: vt autem hoc obſeruetur, eſt regula, quod poſitis duabus modalibus compoſitis de termino communi in rotulis ſubcontrarijs, vt ſint ſubcontrariæ, requiritur, quod ſi neutra fuerit de *neceſſe*, in vtraque, vel ſaltim in vna dictum debeat eſſe, quoad apparentiam particulare: ſi vero vtraque fuerit de *neceſſe* dictum in vtraque, vel ſaltim in altera ſit quoad apparentiam vniuerſale, ſi vero vna fuerit de *neceſſe*, & altera de alio modo requiritur, quòd ſi dictum propoſitionis de *neceſſe* fuerit quoad apparentiã particulare, dictum alterius ſit quoad apparentiam etiam particulare: ſi verò dictũ propoſitionis de *neceſſe* fuerit quoad apparentiam vniuerſale, dictum alterius poterit eſſe quoad apparentiam vniuerſale, vel particulare, ſic enim obſeruabitur,

quod in vtraque propoſitione non maneat in re eadem vniuerſalitas dicti : quod vtique vt diximus ; requiritur ad earum ſubcontrarietatem.

18 Vltima tandem regula pro ſubalternis eſt, quod attendatur iuxta incluſionem, vel non incluſionem negationis in modo; ne in re ſubiectum ſubalternæ ſupponat diſtributiuè, ſubiecto ſubalternantis ſupponente in re particulariter ; alias enim conſequentia à ſubalternante ad ſubalternatam eſſet mala : quia argueretur à non diſtributo ad diſtributum. Omnia quæ in hoc paragrapho diximus exemplificantur in ſequenti figura, in qua omnis oppoſitio & æquipollentia in huiuſmodi modalibus compoſitis de termino communi conſtituitur.

Æquipollentes.	1. Dictio.		Æquipollentes.	2. Dictio.
	Pur	Hominē non loqui, nō eſt poſſibile.	I	Omnē hominē loqui nō eſt poſsibile.
	pu-	Hominē non loqui, nō eſt cōtingens	li	Omnē hominē loqui nō eſt cōtingens.
	re-	Hominē non loqui, eſt impoſsibile.	a	Omnē hominē loqui eſt impoſsibile,
	a.	Omnē hominem loqui, eſt neceſſe.	ce	Hominē non loqui, eſt neceſſe.

Contraria.

Subalterna. — Contra dictoria. — Contra dictoria. — Subalterna.

Subcontraria.

Æquipollentes.	3. Dictio.		Æquipollentes.	4. Dictio,
	a	Omnē hominē loqui eſt poſſibile.	e	Hominē non loqui eſt poſsibile.
	ma	Omnē hominē loqui eſt contingens.	dē	Hominē nō loqui, eſt contingens.
	ui	Omnē hominē loqui nō eſt impoſſibile.	tu	Hominē nō loqui nō eſt impoſsibile.
	m'	Hominē loqui non eſt neceſſe.	li.	Omnē hominem loqui, nō eſt neceſſe.

§. V.

De oppoſitione & æquipollentia in modalibus diuiſis.

19 SVppoſitis, quæ de modalibus diuiſis §.2. diximus, facilè eſt aſſignare oppoſitionem & æquipollentiã in illis, faciliùs que, aſſignare illam in modalibus diuiſis de termino ſingulari, in illis enim, cum ſolum ſit vniuerſalitas, vel particularitas modi, & dictum in omnibus illis ſupponat ſingulariter, vt in iſta, Petrus poſſibiliter diſputat, vt aſſignetur æquipollentia,& oppoſitio in illis, ſolum requiritur, quod cõſtituantur iuxta diſpoſitionem rotuli, vt illum conſtituimus in modalibus compoſitis de termino ſingulari §.3.huius capitis abſque eo quod aliquid aliud ſit neceſſarium aduertere.

20 Maior aliqua difficultas eſt in modalibus diuiſis de termino communi,in quibus, vt conſtituatur oppoſitio & æquipollentia, eſt aduertendum, quòd cum modus in illis ſiue nominalis ſiue aduerbialis mediet inter partes dicti,& nec formaliter nec virtualiter præcedat ſubiectũ ipſius dicti, quamuis includat negationẽ, non mutat quãtitatem ſubiecti talis dicti; ſed illud retinet ſuam quantitatem iuxta ſignum vniuerſale & particulare, quo afficitur: quo ſuppoſito, pro æquipollentia

in prædictis modalibus diuiſis de termino communi eſt aduertendum, quod præter diſpoſitionem cuiuslibet rotuli omnes quatuor propoſitiones in illo conſtitutæ habeant eandem vniuerſalitatem, vel eandem particularitatem in ſubiecto dicti. Pro contradictorijs autem eſt attendendum, quod præter diſpoſitionem in rotulis contradictorijs non maneat in ſubiecto dicti propoſitionum, quæ debent contradici, eadem particularitas nec eadem vniuerſalitas. Pro contrarijs autem eſt attendendum quod præter diſpoſitionem in rotulis contrarijs quantum ad quantitatem, & qualitatem modi & qualitatem dicti, non maneat in illo in vtraque propoſitione eadem particularitas ſubiecti, poterit tamen manere eadem vniuerſalitas, licèt hoc ſecundum non ſemper requiratur: quia cum in talibus modalibus ſit quantitas modi & quantitas dicti; ſi in illis manet eadem vniuerſalitas modi, licèt nō maneat eadem vniuerſalitas dicti, dummodo non maneat eadem particularitas illius, poſſunt eſſe contrariæ. Pro ſubcontrarijs autem eſt attendendum, quod præter quam quòd conſtituantur in rotulis ſubcontrarijs quantum ad quantitatem, & qualitatem modi, & quoad quātitatem dicti, non maneat ex parte illius eadem vniuerſalitas, licèt poſſit manere eadem particularitas: quamuis nec hoc requiratur; quia cum in his propoſitionibus, & ſit quantitas modi & quan-

titas dicti, poſſunt eſſe ſubcontrariæ, ſi maneat in illis eadem particularitas modi, etiam si non maneat eadem particularitas dicti; dummodo non maneat eadem vniuerſalitas illius.

21 Ex dictis ſequitur, quod si in aliquibus modalibus diuisis oppositæ qualitatis maneat eadem vniuerſalitas modi & eadem vniuerſalitas dicti, vel eadem particularitas modo & eadem particularitas dicti, tales propoſitiones nullam habebũt oppositionem, aut æquipollentiam, ſed erunt omnino diſparatæ.

CAPVT XXV.

De excluſiuis.

§. I.

Quid ſit propoſitio ex ponibilis, & diuerſa acceptio particulæ excluſiuæ.

PRopositio exponibilis eſt, *quæ ratione alicuius termini obſcurum implicans ſenſum, explicatione opus habet*. Et quamuis propositio exponibilis sit formaliter cathegorica, quia tamen exponitur per hypotheticam copulatiuam, vel disiunctiuam

uam, ipſa exponibilis eſt virtualiter hypothetica. Multiplex eſt autem genus exponibilium in hoc & ſequentibus capitibus huius libri explicandum: & in hoc capite de excluſiuis eſt nobis agendum.

2 Propoſitio excluſiua eſt, *qua afficitur modo, tantum, ſolum, praciſe, dumtaxat: & ſimilibus*. Talis autem modus & poteſt afficere extremum propoſitionis, vel ipſam propoſitionem. Afficit extremum propoſitionis, cum ſolum fertur in prædicatum, vel in differentiam importatam per verbum: fertur in prædicatum, vt si dicas, Petrus eſt tantum homo: & tunc non denotatur, quod ſolus Petrus eſt homo, ſed quod Petrus nihil aliud ſit quam homo: & talis propoſitio exponitur sic Petrus eſt homo, & nihil aliud eſt quam homo. Vnde hæc propoſitio eſt falſa, Chriſtus eſt tantum homo; quia exponitur per iſtas, Chriſtus eſt homo, & nihil aliud eſt quàm homo; quarum ſecunda eſt falſa: quia cum Chriſtus sit Deus, eſt aliud quã homo. Poteſt autem particula excluſiua ferri etiam in differentiam importatam per verbum, excludens alias differentias temporis præter importatam per verbũ: vt si dicas, Petrus tantum fuit albus, non denotatur, quod ſolus Petrus fuerit albus, nec quòd Petro ſolum conuenerit albedo & non aliud accidens, ſed quod albedo ſolum conuenerit Petro in tempore præterito, & non conueniat illi de præſenti. nec conueniet in futurũ: & talis

propoſitio exponitur ſic, Petrus fuit albus, & non eſt nec erit albus: & iſta Petrus tantum eſt albus, exponitur ſic: Petrus eſt albus, & non fuit nec erit albus: ac denique iſta, Petrus tantum erit albus; exponitur per iſtas, Petrus erit albus, & non eſt, nec fuit albus. Quia tamen cum particula excluſiua præcedit verbum, præcedit etiam prædicatum; diſtinguendum eſt, an excludat aliud à prædicato, an vero excludat aliam differentiam temporis ab illa, quæ importatur per verbum.

3 Poteſt denique particula excluſiua ferri in totam propoſitionem, vt quando fertur in ſubiectum, vt in hac propoſitione, tantum homo eſt riſibilis; & tunc denotatur, quod ſoli ſubiecto cōueniat prędicatum: & talis propoſitio vocatur propriè excluſiua; aliæ enim potiùs dicuntur propoſitiones de excluſo extremo, quam excluſiuæ.

4 Aduertendum eſt tamen, quod particula excluſiua poteſt excludere gratia alietatis, & gratia pluralitatis: gratia quidem pluralitatis, vt ſi dicas, prædicabilia ſunt tantum quinque: & tunc cōſtituitur propoſitio de excluſo extremo, & exponitur ſic, prædicabilia ſunt quinque, & non ſunt plura quam quinque: & poteſt excludere gratia alietatis; & tunc aliquando cōſtituit propoſitionem de excluſo extremo (de cuius expoſitione iam diximus) aliquando verò conſtituit propo-

ſi-

ſitionem excluſiuam, de cuius expoſitione dicemus §.ſequenti, & quæ ibi dixerimus, proportionabiliter poſſunt accommodari propoſitionibus de excluſo extremo, ſiue in illis particula excluſiua, gratia alietatis ſiue gratia pluralitatis excludat.

§. II.

De expoſitione propoſitionum excluſiuarum, & locis in illis arguendi.

5. QVadruplex eſt genus propoſitionis excluſiuæ. Primum illius, in qua tam modus quam verbũ affirmatur; vt in iſta, tantum homo eſt riſibilis, ſecundum illius, in qua tam modus quàm verbum negatur, vt in iſta, non tantum homo eſt riſibilis. Tertium illius, in qua modus affirmatur & verbum negatur, vt in iſta, tantum homo non eſt riſibilis. Quartum denique illius propoſitionis, in qua modus negatur & verbum affirmatur, vt in iſta, non tantum homo non eſt riſibilis. Propoſitio igitur primi generis exponitur per vnam copulatiuam, cuius prima pars ſit præiacens, id eſt ipſa propoſitio, quæ remanet, ablato modo, & ſecunda pars ſit vna propoſitio, in qua prædicatum exponibilis negetur de omni alio à ſubiecto, vt prædicta propoſitio, tantum homo eſt riſibilis, exponitur per

hanc copulatiuam, homo eſt riſibilis, & nihil aliud ab homine eſt riſibile. Propoſitio ſecundi generis exponitur diſiunctiuè contradictorio modo ad exponentes propoſitionis primi generis, vt iſta, non tantum homo eſt riſibilis, exponitur per hanc diſiunctiuam, nullus homo eſt riſibilis, vel aliquid aliud ab homine eſt riſibile. Propoſitio tertij generis exponitur copulatiuè per duas exponentes, quarum prima ſit præiacens, & ſecunda, in qua de omni alio à ſubiecto affirmetur prædicatum exponibilis; vt hæc tantum homo non eſt riſibilis, exponitur ſic, homo non eſt riſibilis & omne aliud ab homine eſt riſibile. Propoſitio quarti generis exponitur diſiunctiuè contradictoriè ad exponentes propoſitionis tertij generis, vt hæc, non tantum homo non eſt riſibilis, in iſtas omnis homo eſt riſibilis, vel aliquid aliud ab homine non eſt riſibile. Vt autem hæc memoria retineantur; expoſitio cuiuslibet prædicti generis propoſitionum ſuo ordine his quatuor ſignificatur dictionibus.

Iſte. Regis, Proram, Clauo,

In quibus ſupponimus (quod & ſupra notauimus) quod littera *A* denotat vniuerſalem affirmatiuam, littera E vniuerſale negatiuam, littera *I* particularem affirmatiuam: littera O particularem negatiuam. Intelligitur autem quælibet harum dictionum, si propositionis excluſiuæ ſubiectum ſit terminus communis; nam

si

ſi fuerit terminus ſingularis; prima exponens habebit quidem qualitatem quam deſignat prima littera dictionis ei correſpondentis; non tamen eam quam denotat quantitatem: quia erit propoſitio ſingularis. §. Ex prædicta propoſitionum excluſiuarum expoſitione triplex in illis deducitur arguendi locus. Primus, quod à qualibet exponibili ad ſuas omnes exponentes, & è conuerſo eſt mutua conſequentia. Secundus, quod ab exponibili copulatiuè ad quālibet determinatè ſuarum exponentium valet conſequentia, non vero ab aliqua determinatè exponentium ad ipſam exponibilem: quia primum eſt arguere virtualiter à copulatiua ad partem, & ſecundum, à parte copulatiuæ ad ipſam copulatiuam. Tertius, quod à qualibet exponentium exponibilis disiunctiuè ad ipſam exponibilem valet conſequentia; non vero ab exponibili ad aliquā determinatè partem exponentium; quia primum eſt arguere virtualiter à parte disiunctiuæ ad totam, ſecundum autem eſt virtualiter arguere à disiunctiua ad partem.

§. III.

De conuerſione, & oppoſitione excluſiuarum.

PLura non neceſſaria aliqui congerunt circa oppositionem & conuersionem exclusiuarum. Breuiter tamen dicimus quod propositio exclusiua affirmatiua, tam de modo quam de verbo, vt hæc, tantum homo eſt risibilis, conuertitur per tranſmutationem extremorum in vniuerſalem affirmatiuam, in qua de prædicato exponibilis diſtributo affirmetur ſubiectũ ipsius exponibilis; vt prædicta propositio, tantum homo eſt risibilis, conuertitur in hanc, omne risibile eſt homo: & ab vna ad alteram eſt mutua conſequentia. Sed potius hæc eſt quædam æquiualentia in conſequendo, quam propriè conuersio; nec oportet, Dialecticum, eſſe anxium de simili conuersione aliarũ propositionum exclusiuarum; cum earum ſenſus ſufficientiſſimè explicetur per earum exponentes, abſque eo quod ad conuertentes earum recurratur.

7 De oppositione autem inter exclusiuas facile eſt iudicare, si ad earum, exponentes attendatur: eandem enim, prorſus oppositionem propositiones exclusiuæ exponibiles inter ſe habebunt, quam habuerint exponentes vnius pro-

poſitionis cum exponentibus alterius. Vnde cum inter duas copulatiuas non poſsit eſſe contradictio, nec ſubcontrarietas, quia manet in vtraque eadem vniuerſalitas de ly *&*; propoſitiones exponibiles copulatiuè non poſſunt eſſe contradictoriæ, nec ſubcontrariæ: & cum inter duas disiunctiuas, quia manet in vtraque eadem particularitas de ly *vel*, non poſsit eſſe contradictio, nec contrarietas, propoſitiones exponibiles disiunctiuè non poſſunt eſſe contradictoriȩ, nec contrariæ. Sed vt propoſitiones excluſiuæ sint contradictoriæ, debet vna exponi per copulatiuam, & altera per disiunctiuam, & exponentes vnius pugnare cum exponentibus alterius in veritate & falſitate: & vt propoſitiones exponibiles sint contrariæ, debet vtraque exponi copulatiuè, & exponentes vnius pugnare in veritate cum exponentibus alterius; & denique vt exponibiles sint ſubcontrariæ, debet vtraq; exponi disiunctiuè & exponentes vnius pugnare in falſitate cum exponentibus alterius. Nec in hoc eſt amplius immorandum, cum per exponentes (vt diximus) cuiuſcunque propoſitionis facillime deducatur.

CAPVT XXVI.

De exceptiuis.

§. I.

Quæ ſint propoſitiones exceptiuæ: & quomodo illarum termini ſupponunt.

SEcundum genus exponibiliũ eſt propoſitionum exceptiuarum, quæ ſunt illæ,quæ modificantur hac particula *præter*, vel *præter quam quod*, aut ſimilibus; vt hæc propoſitio, omne animal præter hominem eſt irrationale: & non diſtinguemus ſicut in excluſiuis propoſitionem de excepto extremo & exceptiuã; vnicus enim tantum modus eſt accipiendi huiuſmodi propoſitiones, & omnes illæ ſunt exceptiuæ.

2 Quadruplex autem terminus reperitur in qualibet exceptiua; particula videlicet excipiens, terminus à quo fit exceptio, qui eſt ſubiectum propoſitionis, & particulam excipientem præcedit; & pars excepta, quæ eſt terminus, ſuper quem immediatè fertur particula excipiens; & deniq; terminus exceptus, qui eſt prædicatum propoſitionis, vt in hac exceptiua, om-

omne animal præter hominem eſt irrationale, particula *præter* eſt dictio excipiens, ly *animal* eſt terminus à quo fit exceptio, ly *irrationale* eſt terminus exceptus, ac denique ly *hominem* ſignificat partem exceptam.

3 Terminus à quo fit exceptio, id eſt, ſubiectum exceptiuæ, & terminus exceptus, prædicatum videlicet exceptiuæ, ſupponunt iuxta exigentiam ſignorum quibus afficiuntur; vt in hac, omne animal præter homiuem eſt irrationale, ſubiectum ſupponit diſtributiuè, & prædicatum confuſe; quia hoc mediatè, & illud immediatè afficitur ſiguo vniuerſali affirmatiuo: & in hac, nullum animal præter hominem eſt rationale, ſubiectum & prædicatum ſupponunt diſtributiuè, quia afficiuntur ſigno vniuerſali negatiuo; non tamen eſt licitum, ſub ſubiecto aut prædicato propoſitionis exceptiue aſcendere, vel deſcendere, prius quam ipſa propoſitio exceptiua in ſuas reſoluatur exponentes. Particula autem excepta, quæ immediatè afficitur particula *præter*, ſi fuerit terminus communis ſupponit diſtributiuè, vt conſtat: quia ſic ſupponit eadem pars in ſecunda & tertia exponente: ſi autem talis pars ſit terminus ſingularis, ſupponit ſingulariter.

§. II.

§. II.

De expoſitione exceptiuarum, & locis in illis arguendi.

4 QVadruplex eſt genus exceptiuarum. Primum, in quo tam particula *præter* quàm verbum propoſitionis affirmatur, vt in hac, omne animal præter hominem eſt irrationale. Secundum, in quo tam particula *præter* quàm verbum propoſitionis negatur, vt in hac, non omne animal præter hominem eſt irrationale: vbi aduerte, quod negatio aduerbialis poſita in fronte propoſitionis negat & verbum & particulam exceptiuam, vt in prędicta propoſitione. Negatio autem nominalis ſolùm negat verbum, & non particulam exceptiuam, vt hæc, nullum animal præter hominem eſt irrationale, eſt negatiua de verbo, non tamen de modo exceptiuo, & pertinet ad tertium genus: illud enim eſt propoſitionum, in quibus negatur verbum, non autem particula exceptiua, vt in exemplo adducto, & etiam in iſta propoſitione, omne animal præter hominem non eſt irrationale. Quartum denique genus eſt propoſitionum, in quibus negatur modus & non verbum, vt in hac, non omne animal præter hominem non eſt rationale.

5 His ſuppoſitis, primum genus propoſitionum exponitur copulatiuè per tres propoſitiones in quarum prima de omni alio à parte excepta affirmetur terminus exceptus; & in ſecunda de omni parte excepta affirmetur terminus, à quo fit exceptio; & in tertia de omni parte excepta negetur terminus exceptus. *Vt hæc*, omne animal præter hominem eſt irrationale, exponitur ſic; omne animal aliud ab homine eſt irrationale, & omnis homo eſt animal, & nullus homo eſt irrationalis. Propoſitio autem ſecundi generis exponitur diſiunctiuè per tres exponentes contradictorio modo ad exponentes propoſitionis primi generis, v.g. iſta, non omne animal præter hominem eſt irrationale, exponitur ſic: aliquod animal aliud ab homine non eſt irrationale, vel aliquis homo non eſt animal, vel aliquis homo eſt irrationalis. Propoſitio tertij generis exponitur copulatiuè per tres exponentes, in quarum prima de omni alio à parte excepta negetur terminus exceptus, & in ſecunda de omni parte excepta affirmetur terminus à quo fit exceptio, & in tertia de omni parte excepta affirmetur terminus exceptus: vt hæc propoſitio, nullum animal præter hominem eſt rationale, exponitur ſic; nullum animal aliud ab homine eſt rationale, & omnis homo eſt animal, & omnis homo eſt rationalis. Propoſitio denique quarti generis exponitur diſiunctiuè per tres exponentes contradicto-

ctorio modo ad exponentes propoſitionis tertij generis; vt hæc propoſitio, non omne animal præter hominem non eſt rationale exponitur ſic, aliquod animal aliud ab homine eſt rationale, vel aliquis homo non eſt animal, vel aliquis homo non eſt rationalis. Vt autem hæc memoria retineantur, expoſitio cuiuslibet prædicti generis propoſitionum ſuo ordine his quatuor ſignificatur dictionibus.

Lauate, Commoti, Peccata, Hyſſopo.

In quibus ſupponimus, quòd & ſupra nōtauimus, quòd littera *A* denotat vniuerſalem affirmatiuam, *E* vniuerſalem negatiuam, particularem affirmatiuam, O particularem negatiuam: intelligitur autem quælibet harum dictionum, ſi pars excepta ſit terminus communis; nam ſi ſit terminus ſingularis, prima & ſecunda exponens habebit quidem qualitatem, quam deſignant litteræ in qualibet dictione eis correſpondentes; non tamen eam, quam denotant quantitatem, quia vtraque talis exponens erit ſingularis.

6 Ex hac expoſitione deducitur triplex locus arguendi in exceptiuis, ſicut deduximus in excluſiuis. Primus, quòd à qualibet exponibili ad omnes eius exponentes, & è conuerſo eſt mutua conſequentia. Secundus, quòd ab exponibili copulatiuè ad quamlibet partem exponentium valet conſequentia; non vero è contra ab aliqua parte exponentium ad exponibilem; quia primum eſt arguere virtua-

tualiter a copulatiua ad partem, & ſecundum, à parte copulatiuæ ad totam. Tertius, quòd à qualibet exponentium exponibilis diſiunctiuè ad ipſam exponibilem valet conſequentia; non vero è contra ab exponibili ad aliquam partem exponentium, quia primum eſt arguere virtualiter à parte diſiunctiuæ ad totam, & ſecundum eſt arguere virtualiter à diſiunctiua ad partem.

7 De oppoſitione exceptiuarum idem proportionabiliter eſt dicendum, ac diximus de oppoſitione excluſiuarum, & attendendum eſt ad earum exponentes, & eandem prorſus oppoſitionem quam inter ſe habuerint exponentes aliquarum exceptiuarum, & ipſæ exceptiuæ inter ſe habebunt: facile autem erit agnoſcere oppoſitionem inter exponentes qualiter cognoſcitur inter quaslibet propoſitiones hypotheticas copulatiuam, vel diſiunctiuam.

CA-

CAPVT XXVII.

De reduplicatiuis.

§. I.

De diuerſis acceptionibus particulæ reduplicatiuæ.

TErtium genus exponibilium eſt propoſitionum reduplicatiuarum, quæ modificantur particula *in quantum*, *quatenus*, vel *ſecundum quod* & ſimilibus. Huiuſmodi autem particulæ diuerſas poſſunt habere acceptiones, quarum cognitio & diſtinctio plurimum eſt etiam ad multas propoſitiones Theologicas diſcernendas neceſſaria: & ita vt in Dialectica ad eas fundamenta iaciamus, accuratiùs de his eſt in præſentiarum agēdum.

2 Tripliciter igitur poteſt accipi iſta v.g. particula *in quantum* (& quod de acceptionibus illius dixerimus, proportionabiliter de alijs ſimilibus particulis eſt intelligendum) poteſt igitur accipi prædicta particula, & vt nota diminutionis, & vt nota ſpecificationis, & vt nota propriè reduplicationis: ſecundum quas acceptiones conſtituit propoſitionem diminu-

nutiuam, ſpecificatiuam, & reduplicatiuam: de quarum ſingulis ſeorſum in hoc capite agemus. Nunc eſt aduertendum, quòd tales & ſimiles particulæ quaſi æquiuocæ ſunt ad tres prædictas acceptiones, & poſſunt pro voluntate vtentis talibus particulis in qualibet prædictarum acceptionum accipi: vnde niſi conſtet de intentione accipientis, vel id ex ipſis terminis aliquo modo colligatur, ſemper propoſitiones talibus particulis affectæ ſunt diſtinguendæ: & ſecundum acceptionem in qua fuerint veræ, concedendæ; & ſecundum acceptionem in qua fuerint falſæ, negandæ.

§. II.

De propoſitionibus diminutiuis, & ſpecificatiuis.

3 PRopoſitio diminutiua eſt illa, quæ afficitur particula *ſecundum quod, quatenus*, in vi limitationis accepta: vt hæc propoſitio æthiops eſt albus ſecundũ dentes, in qua denotatur æthiopem non quidem abſolute eſſe album, ſed ſolum eſſe album ſecundum partem ſpecificatam, ſcilicet, ſecundum dentes: & in ea acceptione conceditur iſta propoſitio, Chriſtus ſecundum quòd homo, eſt creatura, in qua non denotatur Chriſtum abſolutè

eſſe

eſſe creaturam (hæc enim propoſitio, Chriſtus eſt creatura, teſte Diuo Thom. 3. parte quæſt. 16. art 8. eſt falſa) ſed denotatur, quod Chriſtus ſolùm ſecundum humanitatem ſit creatura.

4 Propoſitio ſpecificatiua eſt illa, quæ afficitur particula *in quantum*, vel alia ſimili ſpecificatiuè accepta, per quam quidem denotatur, quod prædicatum competat ſubiecto, & competat illi ratione formæ ſpecificatæ, non tamen denotatur (ſicut in reduplicatiua) quòd prædicatum competat omni cui competit forma ſpecificata, nec quod forma ſpecificata ſit cauſa, vt prædicatum competat ſubiecto; vt in hac propoſitione, Chriſtus ſecundum quòd homo, eſt paſſus, vt ſit vera ly *ſecundum quod* debet accipi non propriè reduplicatiuè, ſed ſpecificatiuè, & denotatur in illa, quod Chriſtus abſolute ſit paſſus, & quod ſit paſſus ratione naturæ humanę, non ratione naturæ diuinæ.

§. III.

De propoſitionibus reduplicatiuis, & earum expoſitione; & oppoſitione.

5 PRopoſitio propriè reduplicatiua eſt illa, quæ afficitur particula *in quantum*, vel alia ſimili non per modum dictionis diminuentis, nec ſolum ſpecificatiuè,

tiuè,ſed propriè reduplicatiuè accepta,ita vt per talem propoſitionẽ denotetur,prędicatum conuenire ſubiecto, & ſubiecto conuenire formam reduplicatam, & omni cui conuenit forma reduplicata, conuenire prædicatum, & quod cauſa,vt alicui competat prædicatum, eſt forma reduplicata. Et hæc omnia conſtabunt ex exponentibus cuilibet propoſitioni reduplicatiuæ ſtatim aſſignandis. Sed prius quam id explicemus, adnotare oportet terminos, qui in qualibet reduplicatiua inueniuntur. Quatuor igitur ſunt in qualibet illarum termini, ſubiectum, ſcilicet, & prædicatum, dictio reduplicans, & terminus reduplicatus; ille videlicèt qui immediatè dictione afficitur reduplicante. Vt in hac propoſitione, homo in quantum rationalis eſt riſibilis, ly homo eſt ſubiectum, ly riſibilis, prædicatum, ly in quantum, particula reduplicans, ly rationalis, terminus reduplicatus.

6 Quadruplex autem eſt genus propoſitionum reduplicatiuarum. Primum eſt illarum,in quibus tã modus reduplicãs,quã verbũ affirmatur: vt prædicta propoſitio, omnis homo in quantũ rationalis eſt riſibilis. Secundum eſt illarum,in quibus tam modus reduplicans quam verbum negatur; vt hæc propoſitio, non omnis homo in quantum rationalis eſt riſibilis: vbi aduerte (ſicut in exceptiuis notauimus) quòd, vt negatio in fronte propoſitionis poſita, feratur in verbum & in modum, de-

debet eſſe aduerbialis, & non nominalis: hæc enim ſolum fertur in verbum. Tertium genus eſt illarum propoſitionum, in quibus verbum negatur, & non modus reduplicans: vt iſtæ propoſitiones, nullus homo in quantum rationalis eſt hinibilis; omnis homo in quantum rationalis non eſt hinibilis: quæ ſunt æquipollentes, & in vtraque negatur verbum, & non modus reduplicans. Quartum denique genus propoſitionum eſt illarum, in quibus negatur modus reduplicans & non verbũ: vt iſta, non omnis homo in quantum rationalis non eſt hinibilis.

7 Propoſitio autem primi generis exponitur copulatiuè per quatuor exponentes, quarum prima ſit præiacens, id eſt propoſitio ipſa exponibilis, ablata dictione reduplicante, & termino reduplicato; in ſecunda affirmetur de ſubiecto terminus reduplicatus, & in tertia prædicatum affirmetur de termino reduplicato diſtributo: & quarta ſit cauſalis, in qua enuntietur, formam reduplicatam eſſe cauſam conueniendi alicui prædicatum. Vt hæc propoſitio, omnis homo in quantum rationalis eſt riſibilis, exponitur ſic: omnis homo eſt riſibilis, & omnis homo eſt rationalis, & omne rationale eſt riſibile, & quia aliquid eſt rationale, eſt riſibile. Propoſitio autem ſecundi generis exponitur diſiunctiuè per quatuor exponentes contradictorio modo ad exponentes propoſitionis primi generis. Vt hæc propoſitio,

non

non omnis homo in quantum rationalis eſt riſibilis,exponitur ſic:aliquis homo nõ eſt riſibilis,vel aliquis,homo nõ eſt rationalis, vel aliquod rationale non eſt riſibile, vel non quia aliquid eſt rationale, eſt riſibile. Propoſitio tertij generis exponitur copulatiuè per quatuor exponentes, ſcilicet, per præiacentem, & ſecundam,in qua affirmetur terminus reduplicatus de ſubiecto exponibilis, & tertiam in qua negetur prædicatum de termino reduplicato deſtributo, & denique quartam cauſalem, in qua enuntietur, formam reduplicatam eſſe cauſam remotionis prædicati à ſubiecto. Vt hæc propoſitio, omnis homo in quantum rationalis nõ eſt hinnibilis,exponitur ſic: omnis homo nõ eſt hinibilis,& omnis homo eſt rationalis,& nullum rationale eſt hinibile, & quia aliquid eſt rationale, non eſt hinibile. Propoſitio denique quarti generis exponitur diſiunctiuè per quatuor exponentes contradictorio modo ad exponentes propoſitionis tertij generis. Vt hæc propoſitio, nõ omnis homo in quantum rationalis non eſt hinibilis, exponitur ſic, aliquis homo eſt hinibilis, vel aliquis homo non eſt rationalis, vel aliquod rationale eſt hinibile, vel quia aliquid eſt rationale,eſt hinibile.

Intelliguntur autem huiuſmodi expoſitiones, cum terminus reduplicatus fuerit terminus communis: nam ſi fuerit terminus ſingularis,tertia exponens cuiuſ

cunque exponibilis debet eſſe propoſitio ſingularis, affirmatiua tamen vel negatiua iuxta modum aſſignatum.

8 Circa oppoſitionem autem huiuſmodi reduplicatiuarum proportionabiliter eſt dicendum, ac diximus de oppoſitione exceptiuarum, et excluſiuarum, quod, videlicet, attendatur ad earum exponentes, et eandem oppoſitionem, quam inter ſe habuerint exponentes aliquarum reduplicatiuarum, habebunt et ipſæ reduplicatiuæ exponibiles inter ſe.

§. IV.

De locis arguendi in reduplicatiuis.

9 POſſunt comparari reduplicatiuæ et ad ſuas exponentes,& ad propoſitiones ſpecificatiuas, & diminutiuas eiuſdem ſubiecti & prædicati, Ratione primæ comparationis triplex locus arguendi ſicut in excluſiuis,et exceptiuis aſſignatur etiam in reduplicatiuis. Primus, quod à qualibet exponibili copulatiuè ad omnes ſuas exponentes, et è conuerſo, eſt mutua conſequentia. Secundus, quod ab exponibili copulatiuè ad quamlibet exponentium valet conſequentia; non vero è contra. Tertius, quod à qualibet exponẽtium exponibilis diſiunctiuè ad ipſam ex-

exponibilem valet conſequentia; non vero è contra ab exponibili ad aliquam exponentium.

10 Ratione ſecundæ comparationis eſt locus arguendi, quod à reduplicatiua ad ſpecificatiuam eiuſdem ſubiecti et prędicati affirmatiuè valet conſequentia; non verò è contra ab ſpecificatiua ad reduplicatiuam. Ratio vtriuſque partis huius loci arguendi eſt, quod reduplicatiua exigit ad ſui veritatem quidquid ad ſui veritatem exigit ſpecificatiua, et aliquid amplius: ac perinde, cum arguitur à reduplicatiua ad ſpecificatiuam, magis requirit ad ſui veritatem antecedens, quàm conſequens: quod vtique ædificat bonitatem conſequentiæ. Cum autem arguitur ab ſpecificatiua ad reduplicatiuam; plus requirit ad ſui veritatem conſequens, quam antecedens, quod vtique deſtruit bonitatem conſequentiæ.

11 Non conſtituimus locum arguendi à reduplicatiua, vel ac ſpecificatiua ad diminutiuam, nec à diminutiua ad ſpecificatiuam vel reduplicatiuam: quia cùm reduplicatiua et ſpecificatiua petant ad ſui veritatem, quòd præiacens abſolutè ſit vera, et id non petat diminutiua; ab illa ad ſpecificatiuam vel reduplicatiuam eſt mala conſequentia: et etiam ab iſtis ad illam eſt mala conſequentia: quia per diminutiuã virtualiter negatur veritas abſoluta præiacentis.

CAPVT XXVIII.

De propoſitionibus exponibilibus de verbo *incipit*, & *deſinit*.

GEnus quartum exponibilium eſt propoſitionum de verbo *incipit* & *deſinit*, de quarum expoſitione, licet ex profeſſo tractetur in ſexto phiſicorum, vbi ſecundum diuerſum modum incipiendi, & deſinendi, rerum diuerſa prædictarum propoſitionũ aſſignatur expoſitio: breuiter tamen hic earum expoſitionem explicabimus. Aduertendo prius, quod prædictæ propoſitiones poſſunt eſſe vel affirmatiuæ, vel negatiuæ, ſupponendo etiam ex prædicto libro ſexto phiſicorum, quod aliquæ res incipiunt intrinſecè & per primum ſui eſſe, aliæ vero extrinſecè & per vltimum ſui nõ eſſe: & aliæ res deſinunt intrinſecè, & per vltimum ſui eſſe; & aliæ extrinſecè & per primũ ſui nõ eſſe: & iuxta talẽ modũ diuersũ inceptionis vel deſitionis diuerſimodè accipitur verbũ *incipit* & *deſinit*, & propoſitiones talibus verbis cõſtantes, diuersã debent habere expoſitionẽ. Aſſignemus igitur prius expoſitionem inceptionis vel deſitionis intrinſecę: ac deinceps expoſitionem explicemus illarum ſecundum acceptionem inceptionis & deſitionis extrinſicæ.

2 Pro-

2 Propoſitio igitur affirmatiua de verbo *incipit* ſignificante inceptionẽ intrinſecã, exponitur copulatiuè per duas propoſitiones alterã affirmatiuam, in qua per verbũ *eſt* affirmetur prædicatũ de ſubiecto,& alterã negatiuam, in qua per verbũ *fuit* negetur prædicatum de ſubiecto. Vt ſi dicas. Petrus incipit eſſe albus, exponitur ſic: Petrus nunc eſt albus, & ante hac nõ fuit albus. Propoſitio autẽ negatiua exponitur diſiunctiue contradictorio modo: vt hæc, Petrus nõ incipit eſſe albus, exponitur ſic: Petrus nunc nõ eſt albus, vel ante fuit albus. Propoſitio autẽ affirmatiua de verbo *deſinit* ſignificante deſitionẽ intrinſecam, exponitur copulatiuè per duas cathegoricas, alteram affirmatiuã, in qua per verbum *eſt* prædicatũ affirmetur de ſubiecto; & alteram negatiuã, in qua per verbum *erit* prædicatum negetur de ſubiecto: vt hæc, Petrus deſinit eſſe albus, ſi *deſinit* ſignificet deſitionem intrinſecam per vltimum ſui eſſe, exponitur copulatiuè per has duas propoſitiones cathegoricas, Petrus nunc eſt albus, & immediatè poſt hoc non erit albus: & propoſitio negatiua exponitur diſiunctiuè contradictorio modo: vt hæc, Petrus non deſinit eſſe albus, exponitur ſic, Petrus nunc non eſt albus, vel immediate poſt hoc erit albus.

3 Propoſitio autem affirmatiua de verbo *incipit* ſignificante inceptionem extrinſecam, exponitur copulatiuè per duas cathegoricas, alterã negatiua, in qua

 per

per verbum *eſt* negetur prædicatum de ſubiecto, & alteram affirmatiuam, in qua per verbum erit affirmetur prædicatum de ſubiecto: vt ſi dicas, motus incipit eſſe, exponitur ſic: nunc non eſt motus, & immediate poſt hoc erit motus: & propoſitio negatiua exponitur diſiunctiuè contradictorio modo: vt hæc, motus non incipit eſſe; exponitur ſic: nunc eſt motus, vel immediate poſt hoc non erit motus. Propoſitio autem affirmatiua de verbo *deſinit* ſignificante deſitionem extrinſecam, exponitur copulatiuè per duas propoſitiones alteram negatiuam, in qua per verbum *eſt* negetur prædicatum de ſubiecto, & alteram affirmatiuam, in qua per verbum *erat* affirmetur prædicatũ de ſubiecto: vt ſi dicas, Petrus deſinit eſſe, exponitur ſic: nunc non eſt Petrus, & immediate ante hac erat Petrus: & propoſitio negatiua eiuſdem acceptionis deſitionis extrinſecæ, exponitur diſiunctiuè contradictorio modo; vt ſi dicas, Petrus non deſinit eſſe, exponitur ſic: nunc eſt Petrus, vel immediatè ante hac non erat Petrus. Quæ autem res incipiant & deſinant intrinſecè, quæ verò extrinſecè, ac perinde quando verbum *incipit* & *deſinit* accipiatur, vt ſignificans inceptionem & deſitionem intrinſecam; quando vero, vt ſignificãs inceptionem vel deſitionem extrinſecam; iuxta quod diuerſa ei aſſignata expoſitio debeatur; ad prædictum locum ſexti phiſicorum id pertinet explicare.

4 Ex

4 Ex dictis ſequitur, quod cum in qualibet aſſignata expoſitione propoſitionum de verbo *incipit* vel *deſinit* non exponatur pure affirmatiuè, nec purè negatiuè; ſed partim affirmatiuè, & partim negatiui; licet ipſæ propoſitiones exponibiles videantur quoad apparentiam pure affirmatiuæ, vel pure negatiuæ, nulla tamen illarum eſt pure affirmatiua, nec pure negatiua, ſed omnes ſunt partim affirmatiuæ & partim negatiuæ: ſi quidem alteram exponentium habent affirmatiuam, alteram negatiuam. Hinc ſequitur valde aduertendum, (ne allucinemur, arguendo ab inferiori ad ſuperius, & à ſuperiori ad inferius in propoſitionibus de *incipit* & *deſinit*) quòd in illis non valet conſequentia ab inferiori ad ſuperius, nec à ſuperiori ad inferius: quia nunquã arguitur in illis pure affirmatiue, nec purè negatiuè; & argumentum ab inferiori ad ſuperius valet ſolum, cum arguitur purè affirmatiuè; & à ſuperiori ad inferius valet ſolùm cum arguitur purè negatiuè; vnde huiuſmodi omnes conſequentiæ ſunt malæ Petrus incidit eſſe albus, ergò incipit eſſe coloratus: & in caſu quo modo incipiat eſſe albus, et vſque nunc fuerit niger, antecedens eſt verum, et conſequens falſum; et hæc eſt mala, Petrus nõ incipit eſſe albus, ergo non incipit eſſe coloratus, et caſu quo vſque nunc nullum habuerit colorem, et modo incipiat eſſe niger, antecedens eſt verum; et conſe-

quens falſum: & hæc eſt mala, Petrus incipit eſſe coloratus, ergo incipit eſſe albus: & caſu quo vſqne nunc nullum habuerit colorem, & modo incipiat eſſe niger, antecedens eſt verum & conſequens falſum: & hæc denique eſt mala, Petrus non incipit eſſe coloratus, ergo non incipit eſſe albus: & caſu quo vſque, non fuerit niger, & modo incipiat eſſe albus, antecedens eſt verum & conſequens falſum.

CAPVT XXIX.

De alijs propoſitionibus exponibilibus.

PAæter propoſitiones exponibiles in quatuor præcedentibus capitulis aſſignatas, aliæ ſunt propoſitiones exponibiles minoris difficultatis, de quibus breuiter in hoc capite eſt diſerendum. Poſſunt igitur eſſe propoſitiones exponibiles ratione horum nominum *primum* & *vltimum*: & iſtæ in duplici poſſunt eſſe differentia, affirmatiuæ videlicet & negatiuæ, propoſitiones igitur exponibiles affirmatiuæ ratione huius nominis *primum* vel *primus* exponuntur copulatiuè per duas cathegoricas, alteram affirmatiuam præiacentem, id eſt quæ remanet, tali nomine ablato, & alteram negatiuam, in qua negetur, ante conueniſſe prædicatum

tum alij à ſubiecto : vt ſi dicas , Adam fuit primus homo,exponuntur ſic : Adam fuit homo, & non fuit alius homo ante illum : & negatiua exponitur disiunctiuè contradictorio modo : vt ſi dicas , Adam non fuit primus homo, exponitur ſic : Adam non fuit homo , vel alius homo fuit ante illum.

2 Propoſitio autem affirmatiua exponibilis ratione huius termini *vltimus*, vel *vltimum* exponitur copulatiuè per duas cathegoricas,alteram præiacentem, & alteram negatiuam,in qua negetur,prędicatum alij poſtmodum conuenire à ſubiecto: vt ſi dicas, Petrus erit vltimus homo , exponitur ſic: Petrus erit homo, & non erit alius homo poſterior illo : & propoſitio negatiua exponitur disiunctiuè contradictorio modo: vt si dicas , Petrus non erit vltimus homo , exponitur sic : Petrus non erit homo , vel alius homo erit poſterior illo.

3 Aliæ propositiones poſſunt eſſe exponibiles ratione nominis ſuperlatiui ; vt iſtæ ; Petrus eſt pulcherrimus homo ; & affirmatiua exponitur sic : Petrus eſt pulcher homo ; & alius homo non eſt pulcherior , nec ita pulcher , sicùt ille : & negatiua exponitur disiunctiuè contradictorio modo : vt si dicas, Petrus non eſt pulcherrimus homo , exponitur sic : Petrus non eſt pulcher homo,vel alius homo eſt pulchrior;aut æquè pulcher, ac ille.

4 Cum autem huiuſmodi genus propoſitionum exponibilium, ſiue affirmatiuę ſint, vel negatiuæ, exponantur partim affirmatiuè, partim negatiuè, & nullæ illarum exponantur purè affirmatiuè,nec purè negatiuè; ipſæ exponibiles, licet apparenter videantur purè affirmatiuæ aut purè negatiuæ, virtualiter & æquiualenter ſunt partim affirmatiuæ & partim negatiuæ. Vnde in talibus propoſitionibus,(ſicut & de propoſitionibus de *incipit* & *deſinit* capite diximus præcedenti) non valet conſequentia nec ab inferiori ad ſuperius, nec à ſuperiori ad inferiùs. Et hæc conſequentia eſt mala: Adam fuit primus homo, ergo Adam fuit primum animal: & hæc, Adam non fuit primum animal, ergo non fuit primus homo & in vtraque caſu quod alia animalia fuerint producta, prius quam Adamus, non vero alij homines fuerint producti priùs illo, antecedés eſt verum & conſequens falſum, & ſimiliter hæc eſt mala conſequentia: hic leo eſt pulcherrimus leo,ergo hic leo eſt pulcherrimum animal: & iſta,hic leo non eſt pulcherrimum animal, ergo hic leo non eſt pulcherrimus leo: & in vtraque caſu quo non ſit alius leo pulcherior illo ſignato leone, ſit tamen aliud animal pulchrius tali ſignato leone, antecedens eſt verum & conſequens ſalſum. Et hæc dicta ſufficiant de his, & de 2.lib.Summularum.

LI-

LIBER TERTIVS SVMMVLARVM de ſyllogiſmo.

CAPVT I.

De conſequentia.

§. I.

Quid & quotuplex ſit conſequentia.

DE ijs quæ ad tertiam intellectus operationem, ad diſcurſum videlicet ſeu ratiocinationem ſpectant, ad agendũ nobis eſt in hoc tertio Summularum libro, qui, vt à principaliori parte, à ſyllogiſmo titulum accipit & nomen. Syllogiſmus enim eſt, in quo principalius & expræſsius diſcurſus relucet, & ratiocinatio: & licet, quia

omnis diſcurſus eſt argumentatio, ab argumentatione videretur hic liber incipiẽdus: quia tamen, capite 5. libri præcedentis egimus de argumentatione, illamque in quatuor diuiſimus ſpecies, inductionem videlicet, exemplum, ſyllogiſmum, & enthimema; ideo in hoc libro ſolum de prædictis ſpeciebus in particulari eſt agẽdum. Quia tamen omnis talis ſpecies rationem imbibit conſequentiæ, quamuis de illa aliquid etiam in eodem loco obiter dixerimus, in hoc primo capite ſpecialiter, eſt de conſequentia tractandum, & de exemplo & enthimemate nihil aliud occurrit dicendum præter id quod in prædicto capite 5. præcedentis libri diximus, ideo explicata in hoc capite natura conſequentia; de inductione ſolum & ſyllogiſmo in ſequentibus huius libri capitibus eſt agendum.

2 Eſt igitur conſequentia *illatio vnius ex alio*, ſeu *oratio illatiua compoſita ex antecedenti & conſequenti & nota illationis*: & conſequens eſt quod ſequitur ex antecedẽti, & antecedens ex quo ſequitur conſequens, nota vero illationis eſt quæ coniungit antecedens cum conſequenti: diuiſimus autem in prædicto loco conſequentiam in bonam & malam, diximus que conſequentiam bonam eſſe, in qua conſequens recte infertur ex antecedenti, & conſequentiam malam (quæ ſolum quoad nomen & apparenter dicitur conſequentia) eſſe illam, in qua re vera conſequens

non ſequitur ex antecedenti: ac perinde poteſt eſſe in illa antecedens verum & cõſequens falſum.

3 Diuidi autem poteſt bona conſequẽtia in conſequentiam materialem & formalem, conſequentia materialis eſt quæ tenet ſolum ratione materiæ & non ratione formæ: vt hæc conſequentia, homo eſt animal, ergo omnis homo eſt animal, non eſt conſequentia formalis, nec valet quidem ratione formæ, cum in illa ex parte ſubiecti arguatur à non diſtributo ad diſtributum, qui modus arguendi non eſt forma bonæ conſequentiæ; eſt tamen conſequentia materialis, & tenet in tali materia, quia in materia naturali indefinita æquiualet vniuerſali. Conſequentia vero formalis eſt, quæ tenet ratione formæ, ac perinde in qualibet materia, ſi in eadẽ forma fiat, eodem modo valet. Hinc eſt, quod conſequentia formalis ſimpliciter dicitur bona conſequentia, conſequentia autem materialis ſolum ſecundum quid, & in tali materia poteſt dici bona conſequentia.

4 Ad videndum autem, an aliqua conſequentia, quæ in aliqua materia videtur bona, & in tali materia non poteſt dari in illa antecedens verum & conſequens falſum; ad videndum, inquam, an talis conſequentia ſit formalis, debet in alia materia formari alia conſequentia ſimilis formæ, & ſi in illa, neque in alia conſequentia ſimilis formæ poſſit dari antecedens verum & conſequens falſum,

ſignum

ſignum à poſteriori eſt, quòd prima conſequentia non erat tantum materialis, ſed formalis: ſi autem detur alia conſequentia ſimilis formæ ad primam, in qua poſſit dari antecedens verum & conſequens falſum, ſignum euidens eſt, quod prima conſequentia erat ſolum materialis & non formalis, & ſignare talem conſequentiam ſimilis formæ ad aliam, in qua antecedens detur verum & conſequens falſum, dicitur inſtare primam conſequentiam, & ipſa conſequentia, in qua inſtatur, dicitur inſtantia alterius.

5 Ad ſimilitudinem autem formæ vnius conſequentiæ cum alia requiritur, vt in omnibus aſſimilentur *præter quam* quod in materia. Vnde cum ratione diuerſæ materiæ pœnes naturalem & remotam ex vna parte, & contingentem ex alia varietur ſuppoſitio pœnes naturalem & accidentalem, non obeſt ſimilitudini formæ requiſitæ ad inſtandum conſequentias, quod extrema antecedentis & conſequentis vnius conſequentiæ ſupponant naturaliter, & in altera conſequentia in qua debet inſtari, extrema ſupponant accidentaliter.

§. II.

§. II.

De regulis bonæ conſequentiæ.

6 PRima regula, primumque principium bonæ conſequentiæ, in quo omnes aliæ illius regulæ fundantur, eſt quod in bona conſequentia ſi antecedens eſt verum, conſequens etiam debet eſſe verum, & non poteſt eſſe falſum. Hoc principium lumine naturali eſt notum: quia cum conſequens vt recte inferatur, & ſequatur ex antecedenti, debeat in ipſo antecedenti contineri; ſi antecedens eſſet verum & conſequens falſum, antecedens eſſet verum & non eſſet verum, aduerſus illud vniuerſaliſſimum principium, *quodlibet eſt, vel non eſt*: eſſet enim antecedens verum, vt ſupponitur, & ſimul idem antecedens non eſſet verum, quia contineret in ſe aliquid falſum, videlicet, conſequens: & quidquid continet aliquid falſum, falſum eſt, quia verum debet reſultare ex integra cauſa nihil includens falſi.

7 Ex hoc autem principio, ſeu infallibili regula bonæ conſequentiæ aliæ etiam ipſius regulæ deducuntur. Secundaque in ordine eſt: quod in bona conſequentia ſi conſequens ſit falſum, antecedens debet eſſe falſum: alias aduerſus primam regulam poſſet dari in bona conſequentia antecedens verum, & conſequens falſum.

8 Ter-

8 Tertia regula. In bona conſequentia ſi antecedens fuerit neceſſarium, conſequens etiam debet eſſe neceſſarium. Nam alias poſſet eſſe antecedens verum & conſequens falſum: ſi enim antecedens ſit neceſſarium, ſemper eſt verum, & conſequens ſi non eſt neceſſarium, deberet eſſe vel impoſſibile, vel contingens; & ſi eſſet impoſſibile ſemper eſſet falſum, & ſi eſſet contingens, poſſet aliquando eſſe falſum. Ergo ſi antecedens eſſet neceſſarium, poſſet antecedens eſſe verum & conſequens falſum.

9 Quarta regula. In bona conſequentia, ſi conſequens eſt impoſſibile, antecedens debet eſſe impoſſibile. Nam alias poſſet in bona conſequentia antecedens eſſe verum, & conſequens falſum, nam ſi conſequens eſt impoſſibile ſemper eſt falſum, & ſi antecedens non eſt impoſſibile, vel eſſet neceſſarium, & ſic ſemper eſſet verum; vel eſſet contingens, & ſic aliquando poſſet eſſe verum; ac perinde ſi conſequens eſſet impoſſibile, & antecedens non eſſet impoſſibile, poſſet antecedens eſſe, verum & conſequens falſum.

10 Quinta regula. In bona conſequentia ſi conſequens fuerit contingens antecedens non poteſt eſſe neceſſarium: alias cum antecedens, ſi eſt neceſſarium, ſemper ſit verum, & conſequens, ſi eſt contingens, poſſit aliquando eſſe falſum, poſſet antecedens eſſe verum, & conſequēs falſum.

11. Sex-

11 Sexta regula. In bona conſequentia ex falſo poteſt ſequi verum. Vt in hac conſequentia, homo eſt lapis: ergo homo eſt ſubſtantia, conſequens verum, immò & neceſſarium ſequitur ex antecedenti falſo, & impoſſibili. Qualiter autem explicetur hæc regula, & an falſum poſſit ſequi ex falſo formaliter vt falſo, dicemus in diſputatione circa iſtud caput.

12 Septima regula. Ex impoſſibili ſequitur quodlibet: non quidem ex omni impoſſibili; aliqua enim eſt propoſitio impoſſibilis, vt iſta, chimera eſt; ex qua non poteſt ſequi aliqua propoſitio contingens, aut neceſſaria; ſed intelligitur regula indefinitè, quòd ex aliquo impoſſibili: ſequitur quodlibet, & non quodlibet pro ſingulis generum (non enim eſt aliqua propoſitio impoſſibilis, ex qua ſequatur quælibet in vniuerſum propoſitio) ſed quodlibet pro generibus ſingulorum, ideſt, quòd dabilis eſt aliqua propoſitio impoſſibilis, ex qua ſequatur aliqua propoſitio contingens, & aliqua neceſſaria, & aliqua impoſſibilis; vt ex hac propoſitione impoſſibili, homo eſt coruus, ſequitur hæc propoſitio neceſſaria, homo eſt ſubſtantia & hæc propoſitio impoſſibilis, homo eſt irrationalis, & hæc propoſitio contingens, homo eſt niger.

13 Octaua regula. In bona conſequentia neceſſarium ſequitur ex quolibet, ideſt, quod dabilis eſt aliqua propoſitio neceſſaria, quæ ſequatur ex quolibet,

non

non pro ſingulis generum, ſed pro generibus ſingulorum: hoc eſt, quòd poſſit ſequi ex aliqua propoſitione neceſſaria, & ex aliqua propoſitione contingenti, & ex aliqua propoſitione impoſſibili: vt hæc propoſitio neceſſaria, homo eſt ſenſibilis, ſequitur ex iſta propoſitione neceſſaria, homo eſt animal, & ex hac impoſſibili, homo eſt equus, & ex hac contingenti, homo habet actualem ſenſationem.

14 Nona renula. Quidquid ſequitur ad conſequens bonæ conſequentiæ, ſequitur ad eius antecedens: vt ſi ad eſſe hominem ſequitur eſſe animal, & ad eſſe animal ſequitur eſſe ſenſibile; eſſe ſenſibile ſequitur ad eſſe hominem: aliàs poſſet in bona conſequentia dari antecedens verum &, conſequens falſum. Et in hoc fundatur locus arguendi de primo ad vltimum.

15 Vltima tandem regula. Quidquid repugnat conſequenti bonæ conſequentiæ, repugnat & eius antecedenti: ſi enim aliquid repugnaret conſequenti, & non antecedenti, & illud quod repugnat conſequenti, eſſet verum, conſequens tunc eſſet falſum; & cum non repugnaret antecedenti poſſet tunc antecedens eſſe verum, ac perinde poſſet in bona conſequentia antecedens eſſe verum & conſequens falſum.

§. III.

§. III.

De effectibus, & defectibus bonæ, & malæ conſequentiæ.

16 Licet non poſſit in omni bona conſequentia aſſignari ſpecialis locus arguendi propter quem ſit bona (quãuis etiam hoc in multis conſequentijs aſſignari poſſit) omnis tamen bona conſequentia poteſt reduci ad aliquem locum arguendi, qui dicitur effectus ædificans bonitatem conſequentiæ: vt ad locum arguendi à reſolubili ad reſoluentes, vel è contra: & ad locum arguendi ab inferiori ad ſuperius affirmatiuæ: vel à ſuperiori ad inferius negatiuè: vel in ſyllogiſmis ad illud generale principium, *Quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe*.

17 Similiter licèt non ſit facile in omni mala conſequentia deſignare in particulari defectum deſtruentem bonitatem illius (quamuis & hoc in multis conſequentijs poſſit deſignari) facilè tamen eſt reducere malitiam cuiuſcunq; conſequentiæ ad aliquem particularem defectum, ex quo prouenit. Et a poſteriori, & quaſi ab effectu poterit colligi malitia cuiuſcunque malæ conſequentiæ, ex eo, quod in illa, vel in alia conſequentia ſimilis formæ poſ-

ſit dari antecedens verum & conſequens falſum; & quia in ſingulis materijs Dialecticæ, quas huc vſque tractauimus, aſſignauimus effectus, & defectus arguendi, qui in illis poſſunt contingere; idemque faciemus in his, quæ in hoc libro reſtant explicanda, nè eadem inutiliter repetamus, ab his aſſignandis in hoc capite abſtinendum eſſe cenſuimus.

CAPVT II.

De inductione.

§. I.

Quid, & quotuplex ſit inductio?

INductio, quæ eſt vna ex ſpeciebus argumentationis, eſt argumentum probatiuum alicuius veritatis, vel falſitatis per ſingularia, quæ ſenſibus experiuntur; vt ſi quis dubitet, an omne Reubarbum purget choleram, id probatur per ſingularia, quæ ſenſibus experiuntur, vtpotè quia hoc, & illud Reubarbum purgat choleram. Et hinc ortum habuerunt plures ſcientiæ: videntes enim homines ad ſenſum hanc, & illam ſingularem, perſuaſi ſunt, idem eſſe de omnibus, ac inde ſunt moti, ad indagandam

cau-

cauſam eius, quòd ſic ex ſingularibus ad ſenſum expertis, agnouerunt. Et ſi aliquis dubitet, an omnis homo ſit albus, per ſingulares homines quos videt nigros, ſuadetur, non omnem hominem eſſe album.

2 Diuiditur autem inductio in aſcenſum, & deſcenſum. Aſcenſus (qui magis propriè ratione, & nomine inductionis gaudet) eſt *à ſingularibus ſufficienter enumeratis ad vniuerſale progreſſio*, vt ſi ita diſcurras: hic ignis calefacit, & hic ignis calefacit, et ſic de ſingulis: ergo omnis ignis calefacit. Deſcenſus eſt *ab vniuerſali ad ſingularia progreſſio*. Vt ſi ita diſcurras: omnis ignis calefacit: ergo hic ignis calefacit, et hic ignis calefacit, et ſic de ſingulis. Et cum in vtraque definitione ponitur *ad vniuerſale*, vel *ab vniuerſali progreſſio*, non requiritur, quòd ſit propoſitio vniuerſalis, ſed poteſt etiam eſſe propoſitio particularis, quæ reſpectu ſingularium dicitur vniuerſalis: quia in illa ſubiectum, non pro vno tantùm, ſed pro omnibus licet diuiſſiuè, accipitur, et pro omnibus poteſt diuiſſiuè verificari.

3 Quadruplex autem eſt tam aſcenſus, quam deſcenſus iuxta diuerſam, quam termini, ſub quibus fit, poſſunt habere ſuppoſitionem, aſcenſus nimirum et deſcenſus copulatiuus, copulatus, diſiunctiuus, et diſiunctus. Aſcenſus et deſcenſus copulatiuus eſt in quo ſingularia numerantur copulatiuè: copulatus eſt, in

quo

quo ſingularia numerantur copulatim. Diſiunctiuus eſt, in quo ſingularia numerantur diſiunctiuè: ac denique diſiunctus eſt, in quo ſingularia numerantur diſiunctim. Ex his autem quatuor differentijs aſcenſus, & deſcenſus copulatiuus, & diſiunctiuus ſunt apti ad aliquid probandum, non ita aſcenſus, & deſcenſus copulatus, & diſiunctus, vt potè in quibus: ita obſcura manet numeratio copulata, vel diſiuncta ſingularium, ac ipſa vniuerſalis, quæ per ſingularia ſic numerata intenditur probari. Aſcenſus quidem deſeruit ad probandam veritatem vniuerſalis, non autem ad probandam falſitatem illius: è contra vero deſcenſus deſeruit ad probandam falſitatem vniuerſalis, non autem ad probandam veritatem illius, quia ſi quis dubitet de veritate, v.g. huius vniuerſalis, omne Reubarbum purgat choleram, rectè illam ſic probaret: benè ſequitur, hoc Reubarbum purgat choleram; & hoc Reubarbum purgat choleram: ſed antecedens eſt verum: ergo & conſequens. Per aſcenſum autem non poteſt probari falſitas alicuius propoſitionis vniuerſalis, quia in bona conſequentia, ex eo quòd antecedens ſit falſum, non ſequitur, conſequens eſſe falſum: ſed probatur falſitas vniuerſalis per deſcenſum, vt ſi dubites, an hæc vniuerſalis ſit falſa, omnis homo eſt albus oſtendes ſic optimè eius falſitatem benè ſequitur, omnis homo eſt albus: ergo hic homo eſt albus, & hic homo eſt albus, &

hic

hic homo eſt albus, & ſic de ſingulis; ſed conſequens eſt falſum; ergo & antecedens: non tamen poteſt per deſcenſum probari veritas vniuerſalis, quia in bona conſequentia ex eo, quòd conſequens ſit verùm, non ſequitur antecedens eſſe verum.

§. II.

De regulis inductionis.

4 DVplicis generis dantur regulæ inductionis, aliæ ad cognoſcendum, quis cuique termino aſcenſus debeatur, & deſcenſus; aliæ vero pro ordine, quo ſub terminis alicuius propoſitionis fieri poteſt aſcenſus, & deſcenſus.

5 Circa primum eſt regula. Termino ſupponenti diſtributiuè, debetur aſcenſus, & deſcenſus copulatiuus; termino ſupponenti particulariter, ſeu determinatè, debetur aſcenſus, & deſcenſus diſiunctiuus, termino ſupponenti collectiue, debetur aſcenſus, & deſcenſus copulatus; termino denique ſupponenti confusè tantum, ſiue propter ſignum ſpecialis confuſionis, ſiue quia eſt terminus communis affectus mediatè ſigno vniuarſali affirmatiuo, debetur aſcenſus & deſcenſus diſiunctus. Intelligitur hoc vltimum, ſi ſub termino communi affecto mediatè ſigno vniuerſali affirmatiuo, fiat aſcenſus, vel deſcenſus, prius quam reſoluatur in ſingula-

lares terminus immediatè affectus signo vniuerſali affirmatiuo: tali enim termino, iam in ſuas ſingulares reſoluio, ſub altero termino, qui prius ſupponebat confusè, iam poteſt fieri aſcenſus, vel deſcenſus diſiunctiuus.

6 Circa ſecundum prima regula eſt. Cum termini alicuius propoſitionis ſupponunt eodem modo, omnes videlicèt diſtributiuè, vel omnes determinatè, licitum eſt, à quolibet illorum incipere reſolutionem per aſcenſum, vel deſcenſum.

7 Secunda regula. Sub termino ſupponente diſtributiuè in ordine ad terminum ſupponentem determinatè (vt ſub prædicato huius propoſitionis; homo eſt omne animal) non eſt licitus immediatè aſcenſus prius, quàm in ſuas ſingulares reſoluatur terminus ſupponens determinatè; licitus tamen eſt immediatè deſcenſus: hic enim aſcenſus eſt malus, homo eſt hoc animal, & homo eſt hoc animal, & ſic de ſingulis: ergo homo eſt omne animal, quia arguitur in illa à pluribus determinatis ad vnicam, & in caſu, quo ſint in mundo duo homines, & nullum aliud animal, antecedens eſt verum, & conſequens falſum.

8 Tertia regula. Sub termino ſupponente confuſsè in ordine ad terminum ſupponentem diſtributiuè (vt ſub prædicato huius propoſitionis, omnis homo eſt animal, quod ſupponit confuſsè in ordine ad ſubiectum ſupponens diſtributiuè)

tiuè) non licèt, immediatè deſcendere prius, quam ſubiectum reſoluatur in ſuas ſingulares; licitum eſt tamen immediatè aſcendere: iſte enim deſcenſus eſt malus, omnis homo eſt animal: ergo omnis homo eſt hoc animal, vel omnis homo eſt hoc animal, quia arguitur in illo à confuſa ad dedeterminatam, & rebus vt nunc exiſtentibus, antecedens eſt verum, & conſequens falſum.

CAPVT III.

De ſyllogiſmo, & eius in communi principijs.

§. I.

Quid, & quotuplex ſit ſyllogiſmus.

PRæcipuus, & principalis finis huius libri, immò & totius tractatus ſummularum eſt ſyllogiſmus, inquem omnia, quæ huc vſque tradidimus, ordinantur, ac proinde de illo in toto hoc tertio libro accuratè, & qua potuerimus diſtinctione, & claritate, eſt agendum.

2 Syllogiſmus, igitur eſt *oratio in qua quibuſdã poſitis, & conceſsis, neceſſe eſt, aliud accidere præter ea, quæ poſita ſunt, & conceſſa.*

In hac definitione *oratio*, ponitur loco generis, & denotat orationem hypotheticam, quæ comprætendit vtraque præmiſſam, & concluſionem ſyllogiſmi. Diciturque in ea definitione *quibuſdam poſitis*, ideſt, poſitis, ac diſpoſitis in modo, & figura præmiſſis, *neceſſe eſt aliud accidere præter ea, quæ poſita ſunt, & cõceſſa*, ideſt, neceſſe eſt, quod ex præmiſſis ſequatur concluſio, quæ eſt propoſitio ab ipſis prẹmiſſis diſtincta.

3 Hinc ſequitur ſyllogiſmum includere conſequentiam, immò & conſequentiam formalem; aliàs enim quantumuis ponantur præmiſſæ, non erit neceſſe, quòd ex illis ſequatur aliud, ſcilicèt, concluſio, & ita ſyllogiſmus, in quo à præmiſſis ad concluſionem non fuerit formalis conſequentia, non erit quidem ſyllogiſmus, ſed paralogiſmus, ſeu apparenter ſyllogiſmus.

4 Inde etiam eſt, quòd vt aliqua oratio ſit ſyllogiſmus, non ſufficit, quod concluſio ſequatur ex altera tãtum præmiſſarum; ſed requiritur, quòd ſequatur ex vtraque præmiſſa: ſi enim ex vna tantùm præmiſſa ſequatur concluſio, etiam ſi materialiter altera etiam præmittatur ad concluſionem. præmiſſa, non erit quidem ſyllogiſmus, ſed enthimema, & altera præmiſſa, ex qua concluſio non ſequitur, & quæ ad inferendam concluſionem non conducit, erit omnino ſuperflua, & materialiter ibi proponetur. Vt ſi dicas, cuiuslibet hominis equus eſt animal, Petrus eſt homo: ergo Petrus eſt

animal,quia hæc concluſio ſolùm ſequitur ex minori,& altera præmiſſa ad inferendã concluſionem, nullatenus conducit, talis conſequentia non eſt ſyllogiſmus, ſed enthimema, & in illa omnino ſuperfluè, & non ad rem maior proponitur præmiſſa.

5 Quia (vt ſtatim dicemus) in ſyllogiſmo eſt materia proxima, & remota, & materia proxima ſunt propoſitiones, ex quibus conſtat ſyllogiſmus, & materia remota ſyllogiſmi ſunt termini,ex quibus tales conſtant propoſitiones, & vnus talium tarminorum(vt videmus)dicitur *medium.* Diuiditur ſyllogiſmus, & ratione materiæ proximæ, & ratione materiæ remotæ. Ratione materiæ proximæ diuiditur in ſyllogiſmum cathegoricum, & hypotheticum. Cathegoricus eſt, cuius tam præmiſſæ, quam concluſio ſunt propoſitiones cathegoricæ; vt iſte ſyllogiſmus; omnis homo diſputat,Petrus eſt homo: ergo Petrus diſputat. Syllogiſmus verò hypoteticus eſt, cuius præmiſſa, vel aliqua præmiſſarum, eſt propoſitio hypothetica, vt iſte vt omnis homo diſputat, & orationis homo currit; Petrus eſt homo: ergo Petrus diſputat, & Petrus currit. Ratione autem materiæ remotæ ſyllogiſmus diuiditur in cõmunem, & expoſitorium. Syllogiſmus cõmunis eſt, cuius medium eſt terminus communis, vt hic ſyllogiſmus, omnis homo eſt animal, aliquod album eſt homo: ergo aliquod album eſt animal. Syllogiſmus verò expoſitorius eſt, cuius medium,

eſt terminus ſingularis,vt hic ſyllogiſmus, Petrus eſt albus, & Petrus eſt homo: ergo homo eſt albus. Poſtquam autem egerimus de ſyllogiſmo communi, agemus de expoſitorio.

§. I I.

De principijs materialibus, & formalibus in communi ſyllogiſmi.

6 SYllogiſmus, ſicut quodlibet artificiatum, duplicis generis habet principia, materialia videlicet, & formalia. Explicemus in communi illa,poſtea explicabimus iſta.Principia materialia ſyllogiſmi ſunt materia,ex qua cõponitur ſyllogiſmus. Et hæc eſt duplex, materia videlicet proxima,& materia remota. Materia proxima ſyllogiſmi ſunt propoſitiones,quibus conſtat & iſtæ debent eſſe tres propoſitiones,quarum duæ priores dicuntur prȩmiſſæ; & ex illis prima dicitur maior, & ſecunda minor, tertia autem propoſitio dicitur concluſio,quæ ſequitur ex præmiſis. Materia autem remota ſyllogiſmi sũt termini, ſubiectum videlicet & prædicatum, ex quibus tales conſtant propoſitiones(de alijs enim terminis ſiue ſyncathegorimaticis, ſiue verbo, cum non habet rationem prædicati, vt cum eſt tertium adiacens, non eſt ſpecialis conſideratio in ſyllogiſmo.

mo, & ideo Ariſtoteles in primo libro Priorum, quia ſolum de termino, vt eſt ſpecialis ratio de illo ad artem ſyllogiſticam, agebat, terminum vocat, in quem tanquam in ſubiectum, & prædicatum propoſitio reſoluitur.) Accipiendo igitur terminum pro ſubiecto, & prædicato, tres tantùm ſunt termini in quolibet ſyllogiſmo. Vnde cùm in duabus præmiſſis non poſſint eſſe tres tãtum termini, niſi aliquis illorum ſubijciatur, vel prædiceretur in vtraque ille terminus, qui bis collocatur in præmiſſis, dicitur medium; & terminus, qui cum illo ponitur in maiori præmiſſa, dicitur maior extremitas; & terminus, qui cum illo ponitur in minori præmiſſa, dicitur minor extremitas; & quia medium non debet ingredi concluſionem, oportet, quòd in illa vna extremitas prædicetur, & altera ſubijciatur.

7 Principia formalia ſyllogiſmi alia ſunt intrinſeca; alia extrinſeca. Intrinſeca ſunt debita diſpoſitio in modo, & figura (de qua poſtea dicemus.) Extrinſeca autẽ principia formalia ſyllogiſmi, pro ſyllogiſmis imperfectis ſunt reductiones illorum ad ſyllogiſmos perfectos; pro ſyllogiſmis verò perfectis ſunt illa duo principia *dici de omni*, & *dici de nullo. Dici de omni* eſt, quòd nihil ſit ſubſumere ſub ſubiecto, de quo non affirmetur prædicatũ; *dici verò de nullo* eſt, quod nihil ſit ſubſumere ſub ſubiecto, à quo non remoueatur prædicatum. Dici ergo de omni eſt principium

formale bonitatis conſequentiæ in duobus ſyllogiſmis perfectis, qui conſtituuntur in *Barbara*, & in *Darij*; & *dici de nullo* eſt principium formale regulans bonitatem conſequentiæ in alijs duobus ſyllogiſmis perfectis, qui fiunt in *Celarem*, & *Ferio*: vt quãuis conſequentia in quatuor prædictis ſyllogiſmis perfectis ſit lumine naturali nota, ſi quis illam, v.g. conſequentiam in *Darij* proteruè negaret, licèt non poſſet aduerſus eum fieri demonſtratio (quia quæ ſunt lumine naturali nota nõ poſſunt demonſtrari) poſſet tamen, id probari per id, quòd talis conſequentia fundatur in *dici de omni*, vt quòd de omni homine dicitur, quod ſit animal, ac perinde nihil eſt ſubſumere ſub ſubiecto, de quo non dicatur prædicatum; & ita ſi ſubſumas ſub ſubiecto, quòd Petrus eſt homo, manifeſte ſequitur, quòd de ipſo etiam Petro dicatur prædicatum, ſcilicet animal, ac perinde per id probatur, & explicatur, quòd ſyllogiſmus in *Darij*, v.g. iſte, omnis homo eſt animal, Petrus eſt homo: ergo Petrus eſt animal, ſit bona conſequentia per *dici de omni*, & quòd ex præmiſſa vniuerſali affirmatiua, ſub ſumpta minori particulari, vel ſingulari affirmatiua, ſequitur concluſio, in qua de minori extremitate affirmetur maior extremitas: quod eſt probare, & explicare bonitatem conſequentiæ ſyllogiſmi facti in *Darij*; & proportionabiliter per *dici de nullo* probari poteſt bonitas conſequentiæ ſyllogiſmi facti in *Celarem*, vel in *Ferio*.

CAPVT IV.

De modo, & figura ſyllogiſmi.

CVm capite præcedenti dixerimus omnem ſyllogiſmum tribus tantum conſtare terminis, & quod vnus illorum debet bis repeti in præmiſſis: ita vt in maiori ſubijciatur, vel prædicetur, cum altero termino, qui perinde dicitur maior extremitas,& in altera præmiſſa ſubijciatur, vel prædicetur, cum altero termino,& talis terminus bis in præmiſſis repetitus dicitur medium: inde eſt, quòd figura ſyllogiſmi nihil aliud ſit, quã *debita diſpoſitio trium terminorum ſecundum debitam ſubiectionem, & prædicationem*. Et quia hæc diſpoſitio, ſeu ordinatio trium terminorum tripliciter poteſt contingere, triplex perinde conſtituitur ſyllogiſmi figura.

2 Prima igitur figura eſt,cùm medium ſubijcitur in maiori, & prædicatur in minori; & hæc figura dicitur prima, quia in illa terminus, qui aſſumitur pro medio propriam habet ſedem medij inter extremitates; ſiquidem reſpectu vnius extremitatis ſubijcitur, & reſpectu alterius prædicatur. Exemplum huius eſt in hoc ſyllogiſmo in *Barbara* facto, omnis homo eſt ra-

rationalis, omne riſibile eſt homo: ergo omne riſibile eſt rationale, vbi ly homo, qui eſt medium, quia bis ponitur in præmiſſis, ſubijcitur in maiori, & prædicatur in minori.

3 Secunda figura eſt cum medium in vtraq; præmiſſa prædicatur, vt in hoc ſyllogiſmo facto in *Cameſtres*, omnis homo eſt animal, nullus lapis eſt animal, ergo nullus lapis eſt homo. Et hæc figura dicitur ſecunda, quia, cum medium in vtraque præmiſſa ſit prædicatum, potiorem locum habet, quàm in tertia figura, in qua medium in vtraque præmiſſa eſt ſubiectum: vt in hoc ſyllogiſmo facto in *Darapti*, omnis homo eſt animal, omnis homo eſt riſibilis, ergo aliquod riſibile eſt animal.

4 Quartam aliqui addunt figuram à tribus propoſitis diſtinctam, quia quartam diſtinctam inueniunt diſpoſitionem trium terminorum, nempe cùm medium in maiori præmiſſa prædicatur, & in minori ſubijcitur: vt in hoc ſyllogiſmo, omnis homo eſt animal, & omne animal eſt ſubſtantia, ergo aliquis homo eſt ſubſtantia in *Baralipton* facto. Sed certè licèt hæc talis diſtincta diſpoſitio medij cum extremitatibus inueniatur, materialis tamen eſt eius diſtinctio à diſpoſitione aſſignata primæ figuræ, de cuius ratione formali, ſolum eſt, quòd medium in vna præmiſſa ſubijciatur, & in altera prædicetur, ſiue ſubijciatur in maiori, & prædicetur in minore, vt communiter contingit; ſiue è contra prædice-

tur

tur in maiori, & ſubijciatur in minori, vt aliquando contingere poteſt. Vnde non oportet, quartam conſtituere figuram, ſed talis diſtincta diſpoſitio medij cum extremitatibus ad primam figuram poteſt reduci.

5 Modus ſyllogiſmi eſt *diſpoſitio, ſeu ordinatio duarum propoſitionum in debita quantitate, & qualitate.* Duarum inquam propoſitionum, id eſt, illarum quæ in ſyllogiſmo habent rationem præmiſſarũ, quarum debita qualitas eſt, quòd ſi vna præmiſſa eſt negatiua, altera ſit affirmatiua, & debita quantitas eſt, quod ſi vna præmiſſarũm fuerit particularis, altera ſit vniuerſalis. Quia (vt capite ſequenti videbimus) nec ex puris particularibus, nec ex puris negatiuis aliquid ſequitur.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

CAPVT V.

De modis ſyllogiſmorum in triplici figura.

§. I:

Proponuntur, & explicantur omnes modi ſyllogiſmorum.

DEcem, & nouem dantur modi, ſeu combinationes diſtinctæ in triplici figuræ his dictionibus cõtentæ.

Barbara, Celarem, Darij, Ferio, Baralipton.
Celantes, Dabitis, Fapeſmo, Friſeſomorum.
Ceſare, Cameſtres, Feſtino, Barocho.
Darapti, Felapſom, Diſamis, Datiſi, Bocardo, Feriſon.

Quarum dictionum quælibet deſignat diſtinctam combinationem, ſeu modum, ſyllogiſmi, & inqualibet dictione ſunt ad minus tres litteræ vocales (ſi quæ enim plures, ſunt, poſteriores nihil deſignant, ſed ponuntur, vt in *Baralipton* vltima, & in *Friſeſomorum* duæ vltimæ, ad aſſonantiam metri) & in qualibet dictione prima vocalis deſignat quantitatem, & qualitatem, quam debet habere maior præmiſſa; & ſecunda vocalis quantitatem, & qualitatem, quam debet habere minor præmiſſa: & tertia vocalis quantitatem, & qualitatem, quam debet habere concluſio: iuxta id quod ſupra notauimus, quod littera *A* denotat propoſitionem vniuerſalem affirmatiuam, *E*, vniuerſalem negatiuam, *I* particularem affirmatiuam, *O* particularem negatiuam.

2 His ergo ſuppoſitis, ex prædictis omnibus modis nouem priores dantur pro prima figura, quatuor ſequentes pro ſecunda figura, & ſex vltimi pro tertia figura. Et ex nouem, qui dantur in prima figura, quatuor priores ſyllogiſmi in illis facti concludunt directè, & ſunt ſyllogiſmi perfecti; & quinque poſteriores concludunt indirectè, & dicuntur ſyllogiſmi imperfecti: quia reducuntur ad ſyllogiſmos

mos perfectos. Sicut eadem ratione omnes ſyllogiſmi facti in modis ſecundæ, & tertiæ figuræ dicuntur ſyllogiſmi imperfecti. Modi autem, qui dantur pro ſecunda, & tertia figura, concludunt directè. Concludere autem directè eſt quòd in conclusione maior extremitas prædicetur de minori; & concludere indirectè eſt, quòd in concluſione minor extremitas prædicetur de maiori extremitate.

3 Primus igitur modus primæ figuræ eſt *Barbara*, qui iuxta tres vocales, quas includit, denotat quòd ſyllogiſmus in eo modo formatus, debet conſtare ex duplici præmiſſa vniuerſali affirmatiua, & concludere directè vniuerſalem affirmatiuam. Vt in hoc ſyllogiſmo, omnis homo eſt rationalis, omne reſibile eſt homo: ergo omne riſibile eſt rationale. Secundus modus eſt *Celarent* conſtans maiori vniuerſali negatiua, & minori vniuerſali affirmatiua, concludentibus directè vniuerſalem negatiuam. Vt in hoc, nullus homo eſt lapis, omne riſibile eſt homo: ergo nullum riſibile eſt lapis. Tertius modus eſt *Darij* conſtans maiori vniuerſali affirmatiua, & minori particulari affirmatiua, concludentibus directè particularem affirmatiuam; vt in iſto, omnis homo eſt animal, aliquod album eſt homo, ergo aliquod album eſt animal. Quartus modus eſt *Ferio* conſtans maiori vniuerſali negatiua, & minori particulari affirmatiua, concludentibus directè particularem negatiuam:

vt in iſto, nullus homo eſt lapis, aliquod album eſt homo: ergo aliquod album non eſt lapis. Quintus eſt *Baralipton* conſtans maiori vniuerſali affirmatiua, & minori vniuerſali affirmatiua, concludentibus indirectè particularem affirmatiuam: vt in iſto, omnis homo eſt animal, omne riſibile eſt homo: ergo aliquod animal eſt riſibile. Non poſſet autem indirectè concludi vniuerſalis affirmatiua; quia argueretur a non diſtributo ad diſtributum: ſiquidem ſubiectum, quod in concluſione diſtribueretur, eſſet in maiori præmiſſa prædicatum, & non diſtributum. Sextus modus eſt *Celantes* conſtans maiori vniuerſali negatiua, & minori vniuerſali affirmatiua, concludentibus indirectè vniuerſalem negatiuam: vt in iſto, nullus homo eſt lapis, omne riſibile eſt homo: ergo nullus lapis eſt riſibilis. Septimus eſt *Dabitis* conſtans maiori vniuerſali affirmatiua, & minori particulari affirmatiua, concludentibus indirectè particularem affirmatiuam; vt in iſto; omnis homo eſt animal, aliquod album eſt homo: ergo aliquod animal eſt album. Octauus eſt *Fapeſmo* conſtans maiori vniuerſali affirmatiua, & minori vniuerſali negatiua, concludentibus indirectè particularem negatiuam: vt in in iſto, omnis homo eſt albus, nullus lapis eſt homo: ergo aliquod album non eſt lapis. Non poſſet autem concludi directè vniuerſalis negatiua: quia argueretur, à non diſtributo ad diſtributum

tum ſubiectum enim, quod in concluſione diſtribueretur, eſt in maiori prædicatum, & non diſtributum. Nonus eſt *Friſeſomorum* conſtans maiori particulari affirmatiua, & minori vniuerſali negatiua, concludẽtibus indirectè particularẽ negatiuã: vt in iſto, aliquis homo eſt albus, nullus lapis eſt homo: ergo aliquod albũ non eſt lapis.

4 Primus modus ſecundæ figuræ eſt *Ceſſare* cõſtans maiori vniuerſali negatiua, & minori vniuerſali affirmatiua, concludentibus directè vniuerſalem negatiuam: vt in iſto, nullus lapis eſt homo omne riſibile eſt homo: ergo nullum riſibile eſt lapis. Et ex eiſdem præmiſſis eodem modo diſpoſitis, poſſet concludi indirectè hæc cõcluſio negatiua, nullus lapis eſt riſibilis. Secundus modus eſt *Cameſtres*, conſtans maiori vniuerſali affirmatiua, & minori vniuerſali negatiua, concludentibus directè vniuerſalem negatiuam: vt in hoc ſyllogiſmo omne riſibile eſt homo, nullus lapis eſt homo: ergo nullus lapis eſt riſibilis. Et ex eiſdem præmiſſis eodem modo diſpoſitis, poſſet etiam concludi indirectè hæc vniuerſalis negatiua, nullũ riſibile eſt lapis. Tertius eſt *Feſtino* conſtans maiori vniuerſali negatiua, & minori particulari affirmatiua, concludẽtibus directè particularem negatiuam: vt in iſto, nullum currens eſt homo, aliquod album eſt homo: ergo aliquod album non eſt currens. Non poſſunt autem tales præmiſſæ concludere indirectè hanc, v.g. particularem

ne-

negatiuam, aliquod currens non eſt albũ: quia argueretur à nõ diſtributo ad diſtributum ex parte illius termini *album*, qui in minori non diſtribuitur,& diſtribueretur in concluſione. Quartus modus eſt *Barocho* conſtans maiori vniuerſali affirmatiua, & minori particulari negatiua, concludentibus directè particularem negatiuam: vt in iſto, omne currens eſt homo, aliquod album non eſt homo: ergo aliquod album non eſt currens. Non poſſunt autem tales præmiſſæ concludere indirectè hanc v.g. particularem negatiuã, aliquod currens non eſt album: quia argueretur à non diſtributo ad diſtributum ex parte illius termini *album*, qui in minori non diſtribuitur, & diſtribueretur in concluſione.

5 Primus modus tertiæ figuræ eſt *Darapti* conſtans maiori vniuerſali affirmatiua, & minori vniuerſali affirmatiua, concludentibus directè particularem affirmatiuam: vt in iſto, omnis homo eſt albus, & omnis homo eſt currens: ergo aliquod currens eſt album. Et ex eiſdem præmiſſis eodem modo diſpoſitis, poſſet etiam concludi indirectè hæc particularis affirmatiua: aliquod album eſt currens. Secundus eſt *Felapton* conſtans maiori vniuerſali negatiua,& minori vniuerſali affirmatiua, concludentibus directè particularem negatiuam: vt in iſto: nullus homo eſt currens, & omnis homo eſt albus: ergo aliquod album non eſt currens. Non

poſ-

poſſunt autem tales præmiſſæ concludere indirectè hanc v. g. particularem negatiuam, aliquod currens non eſt album: quia argueretur à non diſtributo ad diſtributũ ex parte illius termini *album*, qui in minori non diſtribuitur, & diſtribueretur in concluſione. Tertius eſt *Diſamis* conſtãs maiori particulari affirmatiua, & minori vniuerſali affirmatiua, concludentibus directè particularem affirmatiuam: vt in iſto, aliquis homo eſt albus, & omnis homo eſt currens: ergo aliquod currens eſt album. Ex eiſdem autem præmiſſis eodẽ modo diſpoſitis, poſſet etiam concludi indirectè hac particularis affirmatiua, aliquod album eſt currens. Quartus eſt *Datiſi* conſtans maiori vniuerſali affirmatiua, & minori particulari affirmatiua, cõcludentibus directè particularem affirmatiuam: vt in iſto, omnis homo eſt currens, & aliquis homo eſt albus: ergo aliquod album eſt currens. Ex eiſdem autẽ præmiſſis eodam modo diſpoſitis, poſſet etiam concludi indirectè hæc particularis affirmatiua, aliquod currens eſt album. Quintus eſt *Boeardo* conſtans maiori particulari negatiua, & minori vniuerſali affirmatiua, concludentibus directè particularem negatiuam: vt in iſto, aliquis homo non eſt currens, & omnis homo eſt albus: ergo aliquod album non eſt currens. Non poſſunt autem tales præmiſſæ concludere indirectè hanc v. g. particularem negatiuam, aliquod currens non

eſt album: quia argueretur à non diſtributo ad diſtributum ex parte illius termini *album*, qui in minori non diſtribuitur, & diſtribueretur in concluſione. Vltimus tandem modus eſt *Feriſon* conſtans maiori vniuerſali negatiua, & minori particulari affirmatiua, concludentibus directè particularem negatiuam: vt in iſto ſyllogiſmo, nullus homo eſt currens, & aliquis homo eſt albus: ergo aliquod album non eſt currens. Non poſſunt autem tales præmiſſæ concludere indirectè hanc particularem negatiuam, aliquod currens non eſt album: quia argueretur à non diſtributo ad diſtributum ex parte illius termini *album* qui in minori non diſtribuitur; & diſtribueretur in concluſione.

§. II.

Aliqua circa omnes prædictos modos proponuntur aduertentiæ.

6 ADuertendum eſt primo; circa omnes prædictos ſyllogiſmorũ modos; quòd in quolibet illorum, in quo concluditur directè, vel indirectè propoſitio vniuerſalis affirmatiua, vel negatiua; poſſet & eodem modo concludi propoſitio particularis ei ſubalternata: quia cum à ſubalternante ad ſubal-

alternatam ſit bona conſequentia, & quidquid ſequitur ad conſequens bonæ conſequentiæ ſequatur ad eius antecedens : ſi ſubalternans vniuerſalis concluditur ex aliquibus præmiſſis, ex illis poteſt concludi eodem modo eius ſubalternata, & penes hanc diſtinctionem concluſionem poſſent multiplicari plures alij modi, & conſtitui v.g. duplex modus perfectus, vnus in *Barbara*, & alter in *Barbari*: & vnus perfectus in *Celarem*, & alter in *Celarom*, & vnius imperfectus in *Celantes*, & alter etiam imperfectus in *Celantos*. Et in ſecunda figura poteſt conſtitui modus in *Ceſſare*, & alter in *Ceſſaro*: & vnus in *Cameſtres*, & alter in *Cameſtros*. Tamen, quia hæc variatio manifeſtè colligitur ex modis propoſitis, non fuit neceſſarium, illos expreſſe multiplicare, ſed ſolum (vt diximus) aduertere, quod quotieſcunque ex aliquibus præmiſſis ſequitur directè, vel indirectè concluſio vniuerſalis affirmatiua, vel negatiua; ſequitur ex eiſdem præmiſſis eodem modo directè, vel indirectè propoſitio particularis illi ſubalternata.

7 Secundo eſt aduertendum, quod in quolibet modo, in quo concluditur directè, propoſitio vniuerſalis negatiua, vel particularis affirmatiua, poteſt ex eiſdem præmiſſis eodem modo diſpoſitis, concludi indirectè propoſitio vniuerſalis negatiua, vel particularis affirmatiua, in quas tales concluſiones conuertuntur ſimpliciter; quia ab illis ad tales conuertētes

eſt bona conſequentia: & quia (vt diximus) quidquid ſequitur ad conſequens bonæ conſequentiæ, ſequitur ad eius antecedens; ex eiſdem præmiſſis, ex quibus concluduntur directe prædictæ propoſitiones conuertibiles, concludi poſſunt indirectè earum conuertentes. Vnde hac ratione plures poſſent multiplicari, ac diſtingui modi (ſicut hac ſola ratione diſtinxit Ariſtoteles modum *Celarem*, à modo *Celantes*, & *Darii* à *Dabitis*) eadem ratione, & nos ipſum philoſophum imitantes, poſſemus v. g. in ſecunda figura diſtinguere duos modos; quorum vnus dicatur *Ceſare* alter *Ceſſantes*: & ſolum diſtinguantur, quod primus concludat directè, & ſecundus indirectè: & eandem diſtinctionem, & multiplicationem poſſumus facere in *Cameſtres*, & in tribus modis tertiæ figuræ, *Darapti*, *Diſſamis*, & *Datiſi*. Tamen non eſt opus, tales modos expreſsè multiplicare, ſed ſufficit aduertere, hanc in illis poſſe fieri diſtinctionem, & multiplicationem, ſicut id tacite aduertit Philoſophus, dum in prima figura eam diſtinctionem modorum conſtituit; eo perinde inſinuans, eodem modo poſſe fieri in alijs modis ſecundæ, & tertiæ figuræ, quorum concluſiones ſunt conuertibiles ſimpliciter.

8 Vltimo tandem eſt aduertendum, quòd in quolibet modo primæ, & ſecundæ figuræ concludentibus directè in quo ponitur minor particularis, ac perinde

con-

concluſio concluditur particularis affirmatiua, ſiue negatiua; poteſt loco particularis minoris præmiſſæ conſtitui propoſitio ſingularis eiuſdem qualitatis, cuius debebat conſtitui propoſitio particularis, & inferri tunc directè propoſitio ſingularis eiuſdem qualitatis, cuius deberet concludi concluſio particularis, ſi minor relinqueretur particularis. In modis autem primæ, & ſecundæ figuræ, ſi concludant indirectè, poteſt etiam loco minoris particularis cõſtitui præmiſſa ſingularis eiuſdem qualitatis. Tunc tamen concludetur indirecte propoſitio particularis, licèt de prædicato ſingulari. In ſyllogiſmis autem tertiæ figuræ de termino communi non habet locum hac variatio minoris particularis in ſingularem; quia cum in tertia figura medium debeat ſubijci in vtraque præmiſſa, non poteſt ſyllogiſmus eſſe de termino communi, & aliqua præmiſſarum ſingularis.

CAPVT VI.

De aliquibus conditionibus generalibus, & ſpecialibus ſyllogiſmorum.

§. I.

Conditiones generales pro ſyllogiſmis cuiuſcunque figuræ.

EX dictis in præcedentibus capitulis, & præcipuè ex ijs, quæ cap.4. diximus de modo, & figura ſyllogiſmorum, aliquæ deducuntur conditiones generales pro omnibus ſyllogiſmis de medio communi (modo enim non agimus de ſyllogiſmo expoſitorio) & aliquæ ſpeciales pro qualibet ſpeciali figura. Has conſtituemus §. ſequenti; illas vero proponemus in iſto.

2 Prima igitur conditio generalis eſt, quod ex puris particularibus nulla ſequitur concluſio. Et ratio eſt, quia deficeret tali ſyllogiſmo principium illud generale, ſcilicet, *dici de omni* aut *dici de nullo*, in quo omnis bonitas ſyllogiſmi non expoſitorij fundatur; vnde altera ſaltim præmiſſa debet eſſe vniuerſali.

3 Secunda conditio generalis eſt, quòd

ex

ex puris negatiuis nihil ſequitur. Et ratio eſt, quòd omnis ars ſyllogiſtica fundatur, vel inconuenientia medij cum vtraque extremitate, vt inferatur conuenientia extremitatum inter ſe, (quod non contingit, niſi vtraque præmiſſa ſit affirmatiua,) vel fundatur in conuenientia medij cum vna extremitate, & remotione ab altera; vt inferatur remotio vnius extremitatis ab altera (quod non continget, niſi altera præmiſſa, illa videlicet, in qua enunciatur conuenientia medij cũ vna extremitate, ſit affirmatiua) ex remotione autem medij cum vtraque extremitate (quæ contingit, quando vtraque præmiſſa eſt negatiua) non ſequitur remotio vnius extremitatis ab altera, neque conuenientia extremitatum inter ſe: & ita ex puris negatiuis nulla poteſt ſequi concluſio. Vnde oportet, quòd in omni ſyllogiſmo altera ſaltim præmiſſarum sit affirmatiua.

4 Tertia conditio, & generalis regula eſt, quod si aliqua præmiſſarum fuerit particularis; conclusio debet eſſe particularis: alias argumentabitur ex parte alicuius termini a non diſtributo ad diſtributum, quod vtique vitiat conſequentiam: si autem vtraque præmiſſa fuerit vniuerſalis, conclusio poteſt eſſe vniuerſalis, vel particularis.

5 Quarta conditio, & generalis regula eſt, quòd si aliqua præmiſſarũ fuerit negatiua, conclusio debet eſſe negatiua. Et

ratio eſt, quia ſi aliqua præmiſſarũ eſt negatiua & alia affirmatiua (vtraq; enim, vt diximus, nõ poteſt eſse negatiua) mediũ conuenit vni extremitati, & remouetur ab altera. Sed ex hoc nõ poteſt ſequi, cõuenientia extremitatum inter ſe (quæ ſignificatur per concluſionem affirmatiuam,) ſed potius remotio vnius extremitatis ab alia (quæ ſignificatur per concluſionem negatiuam) ergo ſi aliqua præmiſſarum fuerit negatiua; concluſio debet eſſe negatiua.

6 Quinta conditio, & generalis regula eſt, quòd in nullo ſyllogiſmo mediũ debet intrare concluſionem. Nam ſi ingrediatur concluſionem, vel prædicatur, vel ſubijcitur reſpectu alicuius extremitatis, ſicut in aliqua præmiſſa reſpectu eiuſdem extremitatis iam ſubiectum, & prædicatum eſt; & ſic non erit aliquid diſtinctum à præmiſſis inferre, ſed quod erat in premiſſis propoſitum, inutiliter repetere, & ſi medium ingrediens concluſionem in illa ſubijceretur, vel prædicaretur reſpectu alicuius extremitatis diuerſimodè, ac ſubiectum, aut prædicatum fuiſſet reſpectu eiuſdem extremitatis in aliqua præmiſſarum; id potius eſſet deſtruere præmiſſas; quàm aliquid ex illis inferre. Vt igitur ex præmiſſis inferatur concluſio, medium non debet intrare concluſionem ſaltim, vt ſubiectum, aut prædicatum, licèt aliquando ad ſeruandam aliquam proprietatem logicalem, poſſit medium in-

ingredi concluſionem ; vt determinatio ſubiecti aut prædicati ipſius concluſionis, vt in hoc ſyllogiſmo, cognoſco Coruſcũ, Coruſcus eſt veniens: ergo cognoſco Coruſcum, qui venit : ſi enim in ferretur, ergo cognoſco veniẽtem ; variaretur appellatio, & fieret ſenſus concluſionis , quod cognoſco venientem ſub ratione venientis , & ne talis fiat ſenſus debet medium intrare concluſionem, & inferri (vt diximus) cognoſco coruſcum , qui venit : in qua concluſione non eſt prædicatum ly *cauſens* , ſed illud complexum *coruſcum , qui venit* .

7 Sexta conditio,& regula generalis eſt, quod in omni ſyllogiſmo,mediũ debet eſſe totale extremũ in aliqua præmiſſarũ: defectu duę prẹmiſſę cuiuslibet hominis equus eſt irribilis , & cuiuslibet hominis canis eſt latrabilis , non ſunt habiles ad inferẽdam aliquam concluſionem : quia quamuis videantur habere medium, illum obliquum *cuiuslibet hominis* bis in vtraque præmiſſa repetitum , re vera non eſt medium : quia in neutra præmiſſarum eſt totale extremum . Non tamen requiritur , quòd medium in vtraque præmiſſa ſit totale extremum ; ſed ſufficit, quod ſit totale extremum in altera : vt in hoc ſyllogiſmo cuiuslibet hominis equus currit ; Petrus eſt homo : ergo Petri equus currit.

8 Septima conditio , & regula generalis eſt,quod in omni ſyllogiſmo id,quod ſe tenet cum medio in maiori , debet con-

clu-

cludi, cum minori extremitate in concluſione, & id, quod ſe tenet cum medio in minori, debet concludi cum maiori extremitate in concluſione, & debet ſe tenere in concluſione cum extremitate in eodem caſu, in quo ſe tenebat, cum medio: vt in hoc ſyllogiſmo, cuiuslibet hominis equus eſt animal; Petrus eſt homo: ergo Petri equus eſt animal. Vnde in his præmiſſis rectè diſpoſitis in *Darapſi*, omnis homo currens mouetur, & omnis homo currens eſt animal, non debet inferri cõcluſio, in qua de minori extremitate, ſine aliqua determinatione accepta, prædicetur maior extremitas, vt concluſio ſit iſta, aliquod animal mouetur; cum vtraque præmiſſa ſit neceſſaria, & hæc concluſio ſit contingens, & in bona conſequentia ſi conſequens eſt contingens, antecedens nõ poteſt eſſe neceſſarium; ſed debet inferri concluſio, in qua illud, quod ſe tenebat cum medio in maiori, ſcilicet illud, adiectiuum *currens*, ſe teneat cum minori extremitate in concluſione, & inferatur ſic, ergo animal currens mouetur, quæ concluſio non eſt contingens, ſed ita neceſſaria, ſicut neceſſaria eſt vtraque præmiſſa.

§. II.

§. I I.

Conditiones ſpeciales ſyllogiſmorum cuiuſcumque figuræ.

9 POſt conditiones, & regulas generales omnium ſyllogiſmorum, aliquæ ſpeciales dantur pro ſyllogiſmis cuiuſcunque figuræ. Et imprimis pro modis perfectis primæ figuræ, & pro omnibus modis ſecundæ figuræ eſt regula. Quòd maiori exiſtente particulari, nihil ſequitur. Secunda regula pro modis perfectis primę figuræ, & pro omnibus modis tertiæ figuræ eſt. Quod minori exiſtente negatiua, nihil ſequitur. Pro modis ſecundæ figurę tres ſpeciales conſtituuntur regulę: Prima, quòd ex puris affirmatiuis nihil ſequitur. Et ratio eſt, quia cum in ſecunda figura medium in vtraque pręmiſſa prædicetur; ſi vtraque pręmiſſa eſſet affirmatiua, medium in neutra diſtribueretur: ac proinde medium non diceretur de omni, nec remoueretur ab omni; quod eſt deficere principiũ artis ſyllogiſticę in ſyllogiſmo non expoſitorio. Secunda regula, quę ſequitur ex prima eſt. Quod in ſecunda figura concluſio ſemper debet eſſe negatiua. Nam cum (vt adſtruit prima regula non poſſit vtraque pręmiſſa eſſe affirmatiua, & iuxta quartam §. pręcedenti aſſignatam

N ge-

generalem regulam, ſi aliqua præmiſſarum fuerit negatiua concluſio debet eſſe negatiua; deducitur, quòd in modis ſecundæ figuræ ſemper concluſio ſit negatiua. Tertia, quæ ſequitur ex ſecunda eſt: Quod in ſecunda figura à maiori exiſtente particulari, nihil ſequitur. Nam tunc maior extremitas, quæ eſſet ſubiectum in maiori, non diſtribueretur; & cum concluſio (vt adſtruit ſecunda regula) debeat eſſe negatiua; talis maior extremitas, quæ in concluſione eſſet prædicatum, diſtribueretur, ac proinde ex parte illius arguetur à non diſtributo ad diſtributum.

10 Pro tertia denique figura duplex aſſignatur regula Prima: Quòd in tertia figura minori exiſtente negatiua, nihil ſequitur. Et ratio eſt, nam tunc maior deberet eſſe affirmatiua (in nullo enim modo poteſt vtraque præmiſſa eſſe negatiua, vt docet ſecunda regula generalis §. præcedenti aſſignata) & ita in maiori non diſtribueretur maior extremitas, quæ eſſet illius prædicatum, & diſtribueretur in concluſione; vtpotè quæ eſſet concluſio negatiua, & in illa maior extremitas eſſet prædicatum: ac perinde ex parte talis extremitatis argueretur à non diſtributo ad diſtributum. Secunda regula eſt: Quod in tertia figura concluſio debet eſſe particularis. Nam cum minor (vt aſſerit prima regula) debeat eſſe affirmatiua, in illa non diſtribueretur maior extremitas, quæ eſſet prædicatum, & ſi con-

clusio

cluſio eſſet vniuerſalis diſtribueretur in concluſione eadem minor extremitas; ſiquidem eſſet ſubiectum talis concluſionis, ac perinde ex parte illius argueretur à non diſtributo ad diſtributum.

CAPVT VII.

De defectibus intrinſecis, & extrinſecis ſyllogiſmorum.

§. I.

De defectibus intrinſecis.

DVplicis generis defectus poteſt cõtingere in ſyllogiſmis. Primi generis defectus contingit in diſpoſitione medij cum extremitatibus, & reddit præmiſſas ita inhabiles, vt nullam prorſus poſſint inferre concluſionem: ideòque vocatur defectus intrinſecus. Alterius generis defectus poteſt contingere in illatione concluſionis, vt quando ex præmiſſis quantumuis rectè diſpoſitis, non illa, quæ debet inferri; de facto infertur concluſio: & talis defectus dicitur extrinſecus, & non reddit præmiſſas inhabiles ad omnem inferendam concluſionem, ſed ſolum obſtat, vt talis ex illis inferatur concluſio. De defectibus igitur intrinſecis age-

agemus in hoc §. de extrinſecis autem in ſequenti.

2 Primus igitur defectus intrinſecus eſt, quando medium tenetur æquiuocè. Tunc enim re vera nullum eſt medium, quia ſolum idem in voce terminus, & non in ſignificatione idem, bis reperitur in præmiſſis; & vt eſſet vere medium, deberet idem, & ſecundum eandem ſignificationem terminus, bis repeti in præmiſſis. Hoc defectu peccat ille ſyllogiſmus, quem irridet Seneca: omnis mus eſt animal, ſyllaba eſt mus: ergo ſyllaba eſt animal: nam ly *mus*, quod apparenter videtur habere rationem medij, in maiori accipitur formaliter, & ſignificatiuè pro illo animali, quod ſignificat; & in minori accipitur materialiter pro ipſa voce, quod eſt accipi æquiuocè.

3 Secundus defectus eſt, quando medium in nulla prĕmiſſarum, nec in vtraque ſimul completè diſtribuitur: quia tunc re vera deficit vtrunque vniuerſale principium ſyllogiſticum, ſcilicet, *dici de omni*, vel *dici de nullo*; quia illud debet intelligi, cum diſtributione completa medij. Hoc defectu peccat hic ſyllogiſmus, omne animal fuit in arca Noe, Petrus fuit animal: ergo Petrus fuit in arca Noe, ſi in maiori ly *omne* diſtribuat incompletè pro generibus ſingulorum: quia tunc medium in maiori non diſtribuitur completè, & in minori nullo modo diſtribuitur; ac perinde neque in altera præmiſſarum, neque

in

in vtraq; ſimul medium diſtribuitur completè; & dabuntur in prædicto paralogiſmo præmiſſæ veræ, & concluſio falſa, ſi ex qualibet ſpecie animalium aliquod animal fuerit in arca, & Petrus fuerit extra illam. Sufficiet autem, quòd medium diſtribuatur completè in altera tantũ præmiſſarum; vt in hoc ſyllogiſmo, omnis homo diſputat, aliquod currens eſt homo: ergo aliquod currens diſputat: vel quòd licet in qualibet ſeorſum præmiſſa non diſtribuatur mediũ completè, in vtraque ſimul complete diſtribuatur: vt in hoc ſyllogiſmo, vterque homo diſputat, Petrus eſt alter homo: ergo Petrus diſputat: ſi ly *vterque*, in maiori diſtribuat incompletè, & ly *alter* in minori particularizet incompletè: ille terminus *homo*, qui eſt medium, licèt in maiori ſolùm non diſtribuatur completè, neque in minori ſeorſum diſtribuatur cõpletè; in vtraque tamen ſimul præmiſſa completè diſtribuitur: vt patet ex earum reſoluentibus, ſcilicet omnium duorum hominum aliquis homo diſputat, ſed Petrus eſt aliquorum duorum hominum quilibet homo, & ita prædictus ſyllogiſmus eſt bonus: & etiam ſi medium ſit complexum & vna pars illius diſtribuatur in vna præmiſſa, & altera pars diſtribuatur in altera præmiſſa; iam medium in vtraque ſimul præmiſſa completè diſtribuitur, ac perinde in talibus præmiſſis hic non committitur defectus: vt hic ſyllogiſmus, omnis homo, & equus ſunt ſubſtantia, homo &

quilibet equus ſunt animalia: ergo animalia ſunt ſubſtantia rectè & abſque prædicto defectu conficitur in *Darapti*.

4 Tertius defectus eſt, quando medium vbi non diſtribuitur, accipitur magis amplè, minus reſtrictè, aut minùs appellatè; quam vbi diſtribuitur: quia tunc re vera non diſtribuitur completè, quia vbi diſtribuitur, accipitur pro paucioribus. Vnde iſtæ præmiſſæ ſunt inhabiles, omne album eſt homo, & omnis equus poſſibiliter eſt albus.

5 Quartus eſt, quando medium in præmiſſa affirmatiua accipitur magis amplè, quam in negatiua, ita vt pro aliquo ſupponat in affirmatiua, pro quo non ſupponat in negatiua. Vnde iſtæ præmiſſæ ſunt inhabiles, nullum album eſt homo, & omnis equus poſſibiliter eſt albus. Alios defectus intrinſecos aliqui aſſignant, & inter illos, quando vtraque præmiſſa eſt negatiua, ſed de hoc iam diximus in ſecunda conditione generali, quod ex puris negatiuis nihil ſequitur. Et ſi alij poſſunt contingere defectus intrinſeci, ſolum ſunt in præmiſſis incongruis, & propoſitionibus inconſuetis; vnde non oportet de talibus defectibus agere.

§. II.

§. II.

De defectibus extrinſecis ſyllogiſmorum.

6 Aliqui etiam aſſignantur in ſyllogiſmis defectus extrinſeci; qui tamen (vt diximus) cùm non contingant in diſpoſitione medij cum extremitatibus, ac perinde præmiſſas non reddant inhabiles ad quamlibet inferendam concluſionem; ſed contingant in modo concludendi concluſionem ex præmiſſis quantumuis rectè diſpoſitis: omnes tales defectus reducuntur ad communes, vel particulares defectus, qui contingere poſſunt ad vitiandam aliquam conſequentiam: vt ſunt illi defectus, quod non arguatur ex parte alicuius extremi à non diſtributo ad diſtributum, à confuſa ad determinatam, ab appellante ad non appellantem, vel à reſtricto ad non reſtrictum, vel è contra, aduerſus locos arguendi in reſtrictione, vel cum aliqua variatione ſuppoſitionis quoad ſpeciem; vt ſi varietur de materiali in formalem, de ſimplici in perſonalem, vel de naturali in accidentalem. Omnes enim iſti defectus, & plures alij, quos in diuerſis materijs huius tractatus explicuimus, ſi contingant in ſyllogiſmis in modo concludendi ex præmiſſis concluſionem,

cum vitient conſequentiam; reddent etiam malum ſyllogiſmum: & licèt præmiſſas non reddant inhabiles ad inferendam quamlibet concluſionem, obſtant tamen, vt illam inferant, in cuius illatione aliquis prædictorum committitur defectus. Vnde cum tot defectus extrinſeci poſſint in ſyllogiſmis contingere, quot poſſunt aliam quamlibet vitiare conſequentiam; non opportet illos nunc repetere. Solùm autem eſt aduertendum, quod inter alios defectus extrinſecos ſyllogiſmorum vnus poteſt eſſe, quod aliqua extremitas teneatur æquiuocè in præmiſſis, & in concluſione: qui defectus committitur in hoc ſyllogiſmo, nulla ſyllaba eſt animal, mus eſt ſyllaba: ergo mus non eſt animal.

CAPVT VIII.

De reductione ſyllogiſmorum imperfectorum ad perfectos.

§. I.

De reductione oſtenſiua ſyllogiſmorum.

QVamuis quilibet ſyllogiſmus in quolibet ex decem, & nouem modis ſupra aſſignatis factus; ſi in

in illo omnes conditiones, & regulæ propoſitæ obſeruentur, optimus ſit: non tamen in omnibus eſt ita clara, & lumine naturali nota bonitas conſequentiæ, ſicut in quatuor prioribus primæ figuræ: qui cùm reducantur immediatè ad illa duo vniuerſaliſſima principia *dici de omni*, & *dici de nullo*; ita in illis eſt nota, & clara bonitas conſequentiæ; ad quatuor ergo priores reliqui ſunt reducendi. Reductio autē illorum ad quatuor prædictos modos perfectos poteſt eſſe duplex, altera videlicet, oſtenſiua: altera deducendo ad impoſſibile. De prima agemus in hoc §. de altera in ſequenti dicemus.

2 Reductio ſyllogiſmorum imperfectorum ad perfectos oſtenſiua, eſt, quæ fit per conuerſionem præmiſſarum, vel concluſionis, aut tranſmutationem præmiſſarum. Pro qua reductione facienda, eſt aduertendum, quòd inquolibet modo ex imperfectis littera initialis denotat, illum reducendum eſſe ad modum ex quatuor perfectis, qui ſimilem habet litteram initialem. Præter litteram autem initialem ſunt in modis imperfectis aliæ quatuor litteræ pro hac reductione adnotandæ, videlicet iſtæ littera *S. P. M. C.* (aliæ enim ſi reperiantur litteræ, ad propoſitum non ſpectant) littera *S.* denotat, quòd vt talis reductio fiat; propoſitio quæ immediatè talem litteram præcedit, debet conuerti ſimpliciter. Littera *P.* denotat, quòd propoſitio illa, quæ immediatè præcedit

talem litteram, debet conuerti per accidens. Littera *M* denotat, quòd in modo, in quo illa reperitur, debent tranſmutari præmiſſæ, & fieri de maiori minor, & de minori maior. Littera denique *C* non initialis denotat, quòd modus, in quo illa reperitur, non eſt reducibilis ad perfectos, niſi per impoſſibile. Vt hæc autem clariora fiant, breuiter per ſingulos ſyllogiſmos imperfectos, illos ad perfectos hoc modo reducendo, diſcurramus.

3 Primus igitur modus imperfectus primæ figuræ eſt *Baralipton*; & quia habet litteram initialem *B*, reducendus eſt ad *Barbara*. Littera *P*, quam immediatè præcedit concluſio, denotat (iuxta ea quæ diximus) concluſionem conuertendam eſſe per accidens. Cùm tamen ſit particularis affirmatiua, ac perinde in conuertibilis per accidens, denotat talis littera, quòd in concluſionem de *Baralipton* conuertenda eſt per accidens concluſio de *Barbara*; ſi enim illa ſequitur ex præmiſſis de *Barbara*, cùm ex illa ad ſuam conuertentem valeat conſequentia; ex eiſdem præmiſſis ſequitur etiam eius conuertens, quę eſt concluſio de *Baralipton*. Secundus modus eſt *Celantes*: & quia habet litteram initialem *C*, reducendus eſt ad *Celarent* per id ſolum, quòd concluſio, quam immediatè ſequitur littera S. conuertatur ſimpliciter. Tertius modus eſt *Dabitis*: & quia habet litteram initialem *D*. reducendus eſt ad *Darij* per id ſolum, quòd concluſio, quam

im-

immediatè ſequitur littera *S*, conuertatur ſimpliciter. Quartus eſt *Fapeſmo*, qui habens litteram initialem *F*, reducitur ad *Ferio* per id, quòd maior, quam immediatè ſequitur littera *P*, conuertatur per accidens, & minor, quam ſequitur littera *S*, conuertatur ſimpliciter, & præmiſſæ, ſic conuerſæ (quia in tali modo reperitur littera *M*) tranſmutentur de maiori in minorem, & ſic reſultabit ſyllogiſmus in *Ferio*. Quintus eſt *Friſeſomorum*: qui, cum habeat litteram initialem, *F*, reducitur ad *Ferio*, per hoc, quod maior, & minor conuertantur ſimpliciter: quia vtraque præmiſſa præcedit litteram *S*, & conuerſæ tranſmutentur: quia in tali modo reperitur littera *M*.

4 Primus modus ſecundæ figuræ eſt *Ceſſare*; qui habens litteram initialem *C*, reducitur ad *Celarem* per id ſolum, quòd maior præcedens litteram *S*, conuertatur ſimpliciter. Secundus eſt *Cameſtres*, qui etiam habens litteram initialem *C*, reducitur ad *Celarem* per id, quod minor præcedens litteram *S*, conuertatur ſimpliciter; & conuerſa tranſmutetur cum maiori: quia in tali modo reperitur littera *M*, ac denique concluſio præcedens litteram *S*, conuertatur ſimpliciter. Tertius eſt *Feſtino*: qui habens litteram initialem *F*, reducitur ad *Ferio*, per id ſolum, quòd maior præcedens litteram *S*, conuertatur ſimpliciter. Quartus eſt *Barocho*: in quo littera *C*, non initialis denotat, illum non

eſſe reducibilem ad aliquem ſyllogiſmum perfectum hoc genere reductionis, ſed ſolùm per impoſſibile.

5 Primus modus tertiæ figuræ eſt *Darapti*, qui habens litteram initialem *D*, reducitur ad *Darij* per id ſolum, quòd minor præcedens litteram *P*, conuertatur per accidens. Secundus eſt *Felapton*: qui, habens litteram initialem *F*, reducitur ad *Ferio*, per id ſolùm, quod minor præcedens litteram *P*, conuertatur per accidens. Tertius eſt *Diſamis*: qui, habens litteram initialem *D*, reducitur ad *Darij* per id, quòd maior præcedens litteram *S*, conuertatur ſimpliciter, & ſic conuerſa tranſmutetur cum minori: quia in tali modo reperitur littera *M*, & concluſio conuertatur ſimpliciter, quia antecedit litteram *S*. Quartus eſt *Datiſi*: qui, habens litteram initialem *D*, reducitur ad *Darij* per id ſolum, quòd minor præcedens litteram *S*, conuertatur ſimpliciter. Quintus eſt *Bocardo*: in quo littera non initialis *C*, denotat, illum non eſſe reducibilem ad aliquem ſyllogiſmum perfectum, niſi ſolùm per impoſſibile. Vltimus denique modus eſt *Feriſon*: qui, habens litteram initialem *F*, reducitur ad *Ferio* per id ſolùm, quod minor præcedens litteram *S*, conuertatur ſimpliciter.

§. II.

§. II.

De reductione ſyllogiſmorum per impoſſibile.

6 REductio per impoſſibile ſyllogiſmorum in aliquo modo imperfecto ad ſyllogiſmos perfectos nihil eſt aliud, quam deducere eum, qui negat conſequentiam in aliquo modo imperfecto, vt exinde teneatur, per bonā conſequentiā in aliquo ſyllogiſmo perfecto cōcedere duas contradictorias, vel cōtrarias ſimul veras, quod cum impoſſibile ſit; talis reductio dicitur per impoſſibile, id eſt, deducens ad concedendum aliquod impoſſibile. Quod ita fit. Nam qui negat conſequentiam alicuius ſyllogiſmi imperfecti, conceſſiſque præmiſsis, negat concluſionem, aſſeritque illam eſſe falſam; tenetur perinde concedere, vt veram contradictoriam concluſionis. Et vt ex eo deducatur ad aliquid impoſsibile concedendum, aſsumpta contradictoria concluſionis, quam concedit vt veram, & aliqua ex præmiſſis quam ſimiliter conceſsit, debent formari, & diſponi in aliquo modo perfecto tales duæ propoſitiones per modum præmiſſarum, vt ex illis inferatur contradictoria alterius præmiſſæ, quam conceſſerat veram; ac proinde qui ſyllogiſmū im-

imperfectum negauerit, deducatur, & cõpellatur, concedere duas contradictorias ſimul veras, vel recãtãdo Palinodiam,cõpellatur, concedere ipſam conſequentiam ſyllogiſmi imperfecti, quam negauerat. Quod vtique exemplis ſtatim patefiet.

7 Vt autem agnoſcatur, ad quem modum pefectum reducatur per impoſſibile quilibet imperfectus, quatuor iſtæ dantur dictiones.

Neſciebatis, Odiebam, Letare, Romanis. Prima propinque ſyllogiſmis imperfectis primæ figuræ: ſecunda pro quatuor ſyllogiſmis ſecundæ figuræ: tertia, & quarta pro ſex ſyllogiſmis tertiæ figuræ. Ita vt in qualibet dictione quælibet littera vocalis cuilibet modo ſuo ordine adaptetur, & denotet, quòd modus, cui correſpondet talis littera vocalis, reducendus eſt per impoſſibile ad ſyllogiſmum ex quatuor perfectis, qui habuerit concluſionem deſignatam per talem litteram vocalem, iuxta id quòd ſæpiùs diximus, quòd littera *A* denotat vniuerſalem affirmatiuam, *E* vniuerſalem negatiuam, *I* particularem affirmatiuam, *O* particularem negatiuam.

8 Pro modis autem imperfectis cuiuslibet figuræ, vt reducantur per impoſſibile ad modos perfectos, quos denotant prædictæ litteræ vocales; ſpeciales dantur regulæ. Pro modis ergo imperfectis primæ figuræ eſt regula: quod aſſumatur contradictoria concluſionis negatæ pro ma-

maiori, & maior conceſſa pro minori, & ex illis inferatur in modo perfecto cõtradictoria minoris conceſſæ: excipitur *Celantes*, qui vt reducatur per impoſſibile ad *Darij*, debet aſſumi contradictoria concluſionis negatæ pro minori, & minor conceſſa pro maiori, & ex illis inferri in *Dari* contradictoria maioris conceſſæ. Pro modis ſecundæ figuræ eſt regula: quòd vt reducantur per impoſſibile, aſſumatur contradictoria concluſionis negatæ pro minori, & relicta maiori, ex illis inferatur in modo perfecto contradictoria, vel contraria, maioris conceſſæ. Pro modis denique tertiæ figuræ eſt regula: quod vt reducantur per impoſſibile ad perfectos, aſſumatur contradictoria concluſionis negatæ pro maiori, & maior conceſſa pro minori, & ex illis inferatur in aliquo modo perfecto contradictoria, vel contraria minoris conceſſæ. Cum autem (vt ex hac triplici regula conſtat) eodem modo reducantur ſyllogiſmi imperfecti primæ, & tertiæ figuræ præter modum (vt diximus) *Celantes*, ſolùm his duobus verſibus ſequentibus hæc explicantur.

Seruat maiorem, variatque ſecunda minorem,

Tertia maiorẽ variat, ſeruatque minorem.

Vt autem hæc exemplis pateſiant; diſcurramus per omnes modos imperfectos, illos ad perfectos per impoſſibile reducendo.

9 Primus modus imperfectus primæ figuræ eſt *Baralipton*, cui tamen reſpondeat prima vocalis illius dictionis *Neſciebatis*; reducendus eſt per impoſſibile ad *Celarem*, qui habet concluſionem vniuerſalem negatiuam: & reducendus eſt hoc modo. Si quis v.g negaret hunc ſyllogiſmum factum in *Baralipton*, omnis homo eſt rationalis, omne riſibile eſt homo: ergo aliquod rationale eſt riſibile; concederetque præmiſſas, & negaret concluſionem: tunc concedere teneretur contradictoriam concluſionis, ſcilicet iſtam, nullum rationale eſt riſibile: & ex iſta pro maiori, & ex maiori conceſſa, ſcilicet, omnis homo eſt rationalis, pro minori infertur in *Celarem* iſta, nullus homo eſt riſibilis: & ex iſta per conuerſionem ſimplicem infertur hæc, nullum riſibile eſt homo, quæ eſt contraria minoris conceſſæ in *Baralipton*: & ſic qui negaret ſyllogiſmum de *Baralipton*, compelleretur, concedere duas contrarias ſimul veras.

10 Secundus modus eſt *Celantes*: qui quia ei correſpondet in dictione *Neſciebatis* littera *I*, reducitur ad *Darij*, qui habet concluſionem particularem affirmatiuam. Vndè ſi quis neget hunc ſyllogiſmum factum in *Celantes*, nullus homo eſt lapis, omne riſibile eſt homo: ergo nullus lapis eſt riſibilis: concedenſque præmiſſas, neget concluſionem; tenetur perinde concedere

con-

contradictoriam concluſionis, ſcilicet iſtam, aliquis lapis eſt riſibilis, ex iſtaque pro minori, & minori prædicti ſyllogiſmi ſumpta pro maiori, fit hic ſyllogiſmus in *Darij*, omne riſibile eſt homo, aliquis lapis eſt riſibilis: ergo aliquis lapis eſt homo. & cum ex hac concluſione ſequatur per conuerſionem ſimplicem iſta, aliquis homo eſt lapis, quæ eſt contradictoria maioris conceſſæ in ſyllogiſmo de *Celantes*; qui talem ſyllogiſmum negaret, teneretur concedere duas contradictorias ſimul veras.

11 Tertius modus eſt *Dabitis*, cui correſpondet in dictione *Neſciebatis* littera *E*, ac perinde reducitur per impoſſibile ad *Celarem*, cuius concluſio eſt vniuerſalis negatiua. Nam negans hunc ſyllogiſmum factum in *Dabitis*, omnis homo eſt animal, riſibile eſt homo: ergo aliquod animal eſt riſibile, concedenſque præmiſſas, & negans concluſionem, tenetur cōcedere contradictoriam concluſionis, ſcilicet iſtam, nullum animal eſt riſibile: & hac aſſumpta pro maiori, & maiori conceſſa ſubſumpta pro minori, fit in *Celarem* hic ſyllogiſmus, nullum animal eſt riſibile, omnis homo eſt animal, ergo nullus homo eſt riſibilis, & ex hac concluſione per conuerſionem ſimplicem infertur iſtà, nullū riſibile eſt homo, quæ eſt propoſitio contradictoria minoris cōceſſæ in *Dabitis*: ac perinde negans illum

ſyllogiſmum, compelletur, concedere duas contradictorias ſimul veras.

12 Quartus modus eſt *Fapeſmo*, cui in dictione *Neſciebatis* correſpondet littera *A*, ac perinde reducitur in *Barbara*, cuius concluſio eſt vniuerſalis affirmatiua. Vndè qui negaret hunc ſyllogiſmum factum in *Fapeſmo*, omnis homo eſt animal, nullus lapis eſt homo: ergo aliquod animal non eſt lapis, & concedens præmiſſas negaret concluſionem; concederet perinde contradictoriam concluſionis, ſcilicet iſtam, omne animal eſt lapis: & illa ſumpta pro maiori, & maiori conceſſa ſubſumpta pro minori, fit hic ſyllogiſmus in *Barbara*, omne animal eſt lapis, & omnis homo eſt animal, ergo omnis homo eſt lapis; & ex hac concluſione per conuerſionem per accidens ſequitur iſta, aliquis lapis eſt homo, quæ eſt contradictoria minoris conceſſæ in *Fapeſmo*; ac perinde negans illum ſyllogiſmum, reduceretur ad concedendum duas contradictorias.

13 Quintus modus eſt *Friſeſomorum*, cui quia in dictione *Neſciebatis* correſpõdet vltima vocalis, ſcilicet *I*, reducitur ad *Dorii*, cuius concluſio eſt particularis affirmatiua. Vnde negans hunc ſyllogiſmum factum in *Friſeſomorum*, aliquis homo eſt animal, & nullus lapis eſt homo, ergo aliquod animal non eſt lapis, concedenſque præmiſſas, & negas concluſionem tenetur perinde concedere contra-

di-

dictoriam conclusionis, ſcilicet iſtam, omne animal eſt lapis: & illa ſumpta pro maiori, & maiori conceſſa ſumpta pro minori, fit hic ſyllogiſmus in *Darii*, omne animal eſt lapis, aliquis homo eſt animal: ergo aliquis homo eſt lapis; & ex hac concluſione ſequitur per conuerſionē ſimplicem iſta, aliquis lapis eſt homo, quę eſt contradictoria minoris conceſſæ in *Friſeſomorum*: ac perinde negans illum ſyllogiſmum, deduceretur ad concedendum duas contradictorias.

14 Primus modus ſecundæ figuræ eſt *Ceſſare*, cui in dictione *Odiebam* correſpōdet littera *o*; ac perinde reducitur per impoſſibile in *Ferio*, cuius concluſio eſt particularis negatiua. Vndè negans hunc ſyllogiſmum factum in *Ceſſare*, nullus lapis eſt homo, & omne riſibile eſt homo: ergo nullum riſibile eſt lapis, concedenſque præmiſſas, & negans concluſionem; tenetur concedere contradictoriam concluſionis, ſcilicet iſtam, aliquod riſibile eſt lapis: & iſta ſubſumpta pro minori, relictaque maiori, infertur in *Ferio* contradictoria minoris conceſſæ, per hunc ſyllogiſmum, nullus lapis eſt homo, & aliquod riſibile eſt lapis: ergo aliquod riſibile non eſt homo, quæ eſt contradictoria minoris conceſſæ in ſyllogiſmo facto in *Ceſſare*: ac perinde negans ſyllogiſmum factum in *Ceſſare*, compelleretur, concedere duas contradictorias.

15 Se-

15 Secundus modus eſt *Cameſtres*, cui in dictione *Odiebam* correſpondet littera *I*, ac perinde reducitur in *Darij*, qui habet concluſionem particularem affirmatiuam. Vnde negans hunc ſyllogiſmum factum in *Cameſtres*, omnis homo eſt animal, nullus lapis eſt animal, ergo nullus lapis eſt homo, concedenſque præmiſſas, & negans concluſionem; tenetur perinde concedere contradictoriam concluſionis, ſcilicet iſtam, aliquis lapis eſt homo: & ex iſta pro minori ſubſumpta, relictaque maiori, concluditur in *Darij* contradictoria minoris conceſſæ, per hunc ſyllogiſmum, omnis homo eſt animal, aliquis lapis eſt homo: ergo aliquis lapis eſt animal, quæ eſt contradictoria minoris conceſſæ in *Cameſtres*; ac perinde negans ſyllogiſmum factum in *Cameſtres*, compelleretur, concedere duas contradictorias.

16 Tertius eſt *Feſtino*; cui in dictione *Odiebam* correſpōdet littera *E*, ac perinde reducitur in *Celarem*, qui habet concluſionem vniuerſalem negatiuam. Vnde negans hunc ſyllogiſmum factum in *Feſtino*, nullus lapis eſt homo, & aliquod riſibile, eſt homo, ergo aliquod riſibile non eſt lapis, concedenſque præmiſſas, neget concluſionem; concedere perinde tenetur contradictoriam concluſionis, ſcilicet iſtam, omne riſibile eſt lapis: & ex hac pro minori, & relicta maiori, concluditur in *Celarem* cōtradictoria minoris cōceſſę,

per

per hunc ſyllogiſmum, nullus lapis eſt homo, & omne riſibile eſt lapis: ergo nullũ riſibile eſt homo, ac perinde negans ſyllogiſmum factum in *Feſtino* compelleretur, concedere duas contradictorias.

17 Quartus modus eſt *Barocho*, cui in dictione *Odiebam* correſpondet littera *A*, ac perinſte reducitur per impoſſibile in *Barbara*, cuius concluſio eſt vniuerſalis affirmatiue. Vnde negans iſtum ſyllogiſmum factum in *Barocho*, omnis homo eſt animal, aliquis lapis non eſt animal, ergo aliquis lapis non eſt homo, cõcedenſque præmiſſas, & negans concluſionem; tenetur perinde concedere contradictoriam concluſionis, ſcilicet iſtam, omnis lapis eſt homo: & ex hac pro minori, relictaque maiori, concluditur in *Barbara* contradictoria minoris conceſſæ, per hunc ſyllogiſmum; omnis homo eſt animal, & omnis lapis eſt homo: ergo omnis lapis eſt animal: ac perinde negans ſyllogiſmum factum in *Barocho*, compelleretur concedere duas contradictorias.

18 Primus modus tertiæ figuræ eſt *Darapti*, cui in dictione *Letare* correſpondet littera *E*, ac perinde reducitur per impoſſibile in *Celarem*, cuius concluſio eſt vniuerſalis negatiua. Vnde negans hunc ſyllogiſmum factum in *Darapti*, omnis homo eſt animal, & omnis homo eſt riſibilis: ergo aliquod riſibile eſt animal, cõcedenſque præmiſſas, & negans concluſio-

nem,

nem; tenetur perinde concedere contradictoriam concluſionis, ſcilicèt iſtam, nullum riſibile eſt animal: & ex iſta pro maiori, relictaque minori, concluditur in *Celarem* contradictoriam maiori, conceſſæ, per hunc ſyllogiſmum, nullum riſibile eſt animal, & omnis homo eſt riſibilis: ergo nullus homo eſt animal: ac perinde negans ſyllogiſmum factum in *Darapti*, compelleretur, concedere duas contradictorias ſimul veras.

19 Secundus modus eſt *Felapton*, cui in dictione *Letare* correſpondet littera *A*; ac perinde reducitur ad *Barbara*, cuius concluſio eſt vniuerſalis affirmatiua. Vnde negans hunc ſyllogiſmum factum in *Felapton*, nullus homo eſt lapis, & omnis homo eſt animal: ergo aliquod animal non eſt lapis, concedenſque præmiſſas, & negans concluſionem; tenetur concedere contradictoriam concluſionis, ſcilicèt iſtam, omne animal eſt lapis: & ex hac pro maiori, & relicta minori, concluditur in *Barbara* propoſito contraria maioris conceſſe, per hunc ſyllogiſmum, omne animal eſt lapis, omnis homo eſt animal: ergo omnis homo eſt lapis, ac perinde negans ſyllogiſmum factum in *Felapton*, cōpelleretur concedere duas contrarias ſimul veras.

20 Tertius modus eſt *Diſamis*, cui in dictione *Letare* correſpondet littera *E*, ac perinde reducitur ad *Celarem*, cuius concluſio eſt vniuerſalis negatiua. Vnde negans

gans hunc ſyllogiſmum factum in *Diſamis*, aliquis homo eſt animal, & omnis homo eſt riſibilis: ergo aliquod riſibile eſt animal, concedenſque præmiſſas, & negans concluſionem; tenetur concedere contradictoriam concluſionis, ſcilicèt iſtam, nullum riſibile eſt animal: & ex hac pro maiori, & relicta minori, concluditur in *Celarem* contradictoria maioris conceſſæ, per hunc ſyllogiſmum, nullum riſibile eſt animal, & omnis homo eſt riſibilis: ergo nullus homo eſt animal: ac perinde negans ſyllogiſmum factum in *Diſamis*, cõpelletur, concedere duas contradictorias ſimul veras.

21 Quartus eſt *Datiſi*, cui indictioni *Romanis* correſpondet littera O; ac perinde reducitur in *Ferio*, cuius concluſio eſt particularis negatiua. Vnde negans hunc ſyllogiſmum factum in *Datiſi*, omnis homo eſt animal, aliquis homo eſt riſibilis: ergo aliquod riſibile eſt animal, concedenſque præmiſſas, & negans concluſionem tenetur, concedere contradictoriam concluſionis, ſcilicet iſtam, nullum riſibile eſt animal: & ex hac pro maiori, relictaque minori, concluditur in *Ferio* cõtradictoria maioris conceſſæ, per hunc ſyllogiſmum, nullum riſibile eſt animal, aliquis homo eſt riſibilis; ergo aliquis homo non eſt animal: ac perinde negans ſyllogiſmum factum in *Datiſi*, compelletur, concedere duas contradictorias ſimul veras.

22 Quin-

22 Quintus eſt *Bocardo*, cui in dictione *Romanis* correſpondet littera *A*, cuius concluſio eſt vniuerſalis affirmatiua. Vnde negans hunc ſyllogiſmum factum in *Bocardo*; aliquis homo non eſt lapis, & omnis homo eſt animal, ergo aliquod animal non eſt lapis, concedenſque præmiſſas, & negans concluſionem; tenetur cõcedere contradictoriam concluſionis, ſcilicet iſtam, omne animal eſt lapis: & ex hac pro maiori, relictaque minori, concluditur in *Barbara* contradictoria maioris conceſſæ, per hunc ſyllogiſmum, omne animal eſt lapis, & omnis homo eſt animal: ergo omnis homo eſt lapis: ac perinde negans ſyllogiſmum factum in *Bocardo*, compelletur, concedere duas contradictorias ſimul veras.

23 Vltimus denique modus eſt *Ferifon*, cui in dictione *Romanis* reſpondet littera *I*; ac perinde reducitur in *Darii*; cuius concluſio eſt particularis affirmatiua. Vnde negans hunc ſyllogiſmum factum in *Ferifon*, nullus homo eſt lapis, aliquis homo eſt animal: ergo aliquod animal nõ eſt lapis, concedenſque præmiſſas, & negans concluſionem, tenetur concedere contradictoriam concluſionis, ſcilicet iſtam, omne animal eſt lapis: & ex hac pro maiori, relictaque minori, concluditur in *Darij* contradictoria maioris conceſſæ, per hunc ſyllogiſmum, omne animal eſt lapis, aliquis homo eſt animal: ergo aliquis homo eſt lapis; ac perinde ne-

negans ſyllogiſmum factum in *Periſon*, deducitur ad impoſsibile concedendi duas contradictorias ſimul veras.

CAPVT IX.

De inuentione medij ſyllogiſmorum.

INuentio medij nihil aliud eſt, quam data quacunque propoſitione inuenire terminum, qui coniunctus in præmiſsis cum vtraque extremitate talis propoſitionis, ſit medium ad illam in aliquo modo ſyllogiſmorum concludendam. Et quamuis aliqui generaliter dicant, quod medium nihil eſt aliud, quàm ratio conueniendi, aut diſconueniendi, extremitates inter ſe; & magis in particulari aſſerant, quod ad concludendam propoſitionem affirmatiuam, medium eſt illud, in quo identificantur extrema talis propoſitionis, & ad concludendam propoſitionem negatiuam, medium eſt, quod identificatur cum vno extremo talis propoſitionis, & remouetur ab alio. Tamen, vt hoc magis in particulari explicetur, aliquæ conſtituuntur regulæ. Si prius ſupponamus, quòd quilibet terminus poteſt ſe habere ad alium, vel vt conſequens, vel vt antecedens, vel vt re-

pugnans. Vt conſequens ſe habet ad aliũ terminum, quando ſignificat aliquid, quod infertur ex ſignificato alterius; vt animal eſt terminus conſequens ad hominem, quia ex eo, quod aliquis ſit homo, ſequitur, quod ſit animal, Terminus antecedens ad alium eſt, qui ſignificat aliquid, quod infert ſignificatum alterius: vt homo eſt antecedens ad animal, quia ex ſignificato hominis ſequitur ſignificatũ animalis. Terminus vero repugnans ad alium eſt, qui ſignificat aliquid repugnãs ſignificato alterius. Quibus ſuppoſitis, aliquæ ſtatuuntur regulæ.

2 Prima regula. Ad inferendam aliquam propoſitionem vniuerſalem affirmatiuam, debet aſſumi pro medio aliquis terminus conſequens ad ſubiectum talis propoſitionis, & antecedens ad prædicatum. Vt ſi vis inferre hanc propoſitionem, omnis homo eſt animal, debes aſſumere pro medio, verbi gratia, hunc terminum riſibile, qui eſt terminus conſequens ad ſubiectum, & antecedens ad prædicatum, quia ex illo ſequitur prædicatum.

3 Secunda regula. Ad inferendam vniuerſalem negatiuam; debet ſumi medium, quod ſit terminus conſequens ad ſubiectum, & repugnans prædicato; excepto caſu, quod vis eam inferre in *Cameſtres*: tunc enim debet ſumi terminus repugnans ſubiecto, & conſequens ad prædicatum.

4 Ter-

4 Tertia regula. Imprimis figura ad inferendam particularem affirmatiuam, debet ſumi pro medio terminus, qui ſit conſequens ad ſubiectum, & antecedens ad prædicatum; & ad inferendam in tertia figura particularem affirmatiuam, debet aſſumi pro medio terminus, qui ſit antecedens vt inferior ad ſubiectum & prædicatum: in ſecunda autem figura non infertur particularis affirmatiua.

5 Quarta regula. Ad inferendam particularem negatiuam in prima figura medium erit terminus conſequens ad ſubiectum,& repugnans prædicato; & idem medium aſſumitur in ſecunda figura pro tertio modo, nempe *Feſtino*: nam in *Barocho* debet ſumi terminus repugnans ad ſubiectum, & conſequens ad prædicatum; ad inferendam autem particularem affirmatiuam in tertia figura, medium debet eſſe terminus antecedens ad ſubiectum, & repugnans prædicato.

CAPVT X.

De ſyllogiſmo expoſitorio.

§. I.

De principijs ſyllogiſmi expoſitorij.

QVamuis in omni ſyllogiſmo affirmatiuo, id eſt, cuius concluſio eſt affirmatiua, ſiue ſit de medio cõmuni, ſiue de medio ſingulari, ſit vniuerſale principium, quòd *quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe*, quia in omni ſyllogiſmo affirmatiuo ex conuenientia extremitatum cum medio ſequitur conuenientia extremitatum inter ſe; & quamuis pro omni ſyllogiſmo negatiuo, id eſt, cuius concluſio eſt negatiua, ſit aliud vniuerſale principium, quòd ex duobus ſi vnũ eſt idem cũ vno tertio,& alterũ diſtinctum, ab illo, illa non ſunt eadem inter ſe; tamẽ hæc principia ſpeciaiiùs procedũt pro ſyllogiſmo expoſitorio, in quo, cũ mediũ ſit omnino vnũ, vtpotè ſingulare, melius relucent hæc principia. Vndè

Vndè omnis ſyllogiſmus expoſitorius fundatur in aliquo ex prædictis duobus principijs.

2 Illud autem principium & axioma, *quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe*, intelligitur de his, quæ ſunt eadem vni tertio, cum illud tertium eſt vnum re, & ratione idem. Si enim ſit vnum re, non tamen vnum, ſed diuerſum ſecundum rationem, non ſequitur, quòd quæ ſunt eadem vni tertio, ſint eadem inter ſe. Sicut quamuis in diuinis *Pater* & *Filius* ſint ſint idem cum Deo; non ſequitur, quòd ſint idem inter ſe: quia licèt Deus, cum quo *Pater* & *Filius* identificantur, ſit vnus realiter; non tamen eſt vnus ſecundum rationem, ſed virtualiter diſtinguitur, ſecundum quod identificat ſecum *Patrem*, à ſemetipſo ſecundum quòd identificatur cum *Filio*. Et ſecundum hanc expoſitionem, & intelligentiam accipiendum eſt prædictum axioma; vt ſit principium ad artem ſyllogiſticam, & præcipuè ad ſyllogiſmum expoſitorum.

§. II.

§. II.

De ſyllogiſmo expoſitorio.

3 SYllogiſmus expoſitorius eſt, *cuius medium eſt terminus ſingularis.* Et dicitur *expoſitorius*, quia eius concluſio ad ſenſum concluditur, cum inferatur ex præmiſſis ſingularibus, quæ ſenſibus percipiuntur. Debet autem medium in ſyllogiſmo expoſitorio eſſe omnino ſingulare, ita vt nec virtualiter ſit commune. Vnde ly *Deus*, quia non ſolùm ex modo ſignificandi eſt terminus communis, ſed etiam ex parte ſignificati mediati eſt virtualiter communis, quia licèt immediatè ſignificet vnam naturam omnino indiuiſibilem, & ſingularem; ſignificat tamen mediate plures perſonas diuinas: ac perinde non eſt terminus aptus, vt ſit medium in ſyllogiſmo expoſitorio. Vndè hic ſyllogiſmus nec eſt expoſitorius, nec bonus, Deus eſt Pater, & Deus eſt Filius: ergo *Filius eſt Pater*, præmiſſęque in illo ſunt veræ, & concluſio falſa.

4 Quamuis in omni figura poſſit fieri ſyllogiſmus expoſitorius; apte tamen ſolum fit in tertia figura. Quia cùm in illa medium in vtraque præmiſſa ſubijciatur, ſi medium ſit terminus ſingularis, vtraque præmiſſa erit propoſitio directa. In alijs autem figuris, quia medium, vel

ſem-

ſemper, vel aliquando prędicatur; & terminus ſingularis non poſſit directe prædicari de aliquo, ſi medium ſit terminus ſingularis; non poſſunt omnes præmiſſæ eſſe propoſitiones directæ: atque ita congruentius conficitur ſyllogiſmus expoſitorius in tertia figura.

5 Quamuis in ſyllogiſmo expoſitorio medium ſit terminus ſingularis; quia tamen extremitates poſſunt eſſe termini communes, ex parte illarum poſſunt committi omnes defectus extrinſeci in concludendo concluſionem, ſicut in alijs ſyllogiſmis de medio, qui ſit terminus communis. Ex parte autem ipſius medij, cum ſit terminus ſingularis, ac perinde incapax diſtributionis, non poteſt contingere aliquis defectus intrinſecus ex illis, qui in diſtributione non completa medij conſiſtunt. Poteſt autem contingere defectus intrinſecus æquiuocationis medij: vt ſi in vtraque præmiſſa medium teneretur æquiuocè; vt in his præmiſſis, Petrus eſt albus, Petrus eſt currens; ſi in maiori ly *Petrus* ſumatur pro vno homine, qui dicitur Petrus, & in minori pro alio homine, qui eodem nomine nuncupatur; tales enim præmiſſæ ſunt omnino inhabiles ad inferendam quamlibet concluſionem.

6 Debent etiam in ſyllogiſmo expoſitorio ſeruari omnes conditiones generales, & etiam particulares cuiuſcunque figuræ, quæ aſſignatæ ſunt pro alijs ſyllogiſ-

giſmis præter illas, quæ ad quantitatem præmiſſarum pertinent. Quia cum præmiſſæ in ſyllogiſmo expoſitorio (maximè in illo, qui fit in tertia figura) ſint propoſitiones ſingulares; non oportet, in illo ad conditiones pertinentes ad quantitatem præmiſſarum attendere.

Et hæc dicta ſufficiant de toto iſto libro tertio, immò de toto iſto tractatu Summularum.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

LAVS DEO.

Digitized by Google

Digitized by Google